BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 E
28
H-1-2

14-17 e 31

Digitized by Google

[illegible] Google

Digitized by Google

COMPENDIUM PHILOSOPHIÆ IANI CÆCILII FREY,

DOCTORIS MEDICI Facultatis Pariſienſis,

NEC NON PHILOSOPHORVM eiuſdem Academiæ Decani.

Conuentus S. [redacted] Romę — Mariæ de Victoria Carmelit. Discalceat.

PARISIIS,
Apud PETRVM DAVID,
Et Ponte Nouum.

M. DC. XLVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMMISSIONE GOVERNATIVA PER LE BIBLIOTECHE ROMA

Digitized by Google

PHILOSOPHIAE COMPENDIVM.

Quænam eſt methodus pulcherrima Ariſtotelica Philoſophiam noſcendi.

QVISQVIS perfectè Philoſophiam noſcere cupit, is de quacunque re propoſita retinere debet, & exactè cognoſcere hæc ſex capita, ſiue quæſtiones.

Primum eſt, quænam ſint nomina rei de qua tractatus inſtituitur. Nam quemadmodum vnus idemque homo variis poteſt veſtibus veſtiri: ita vna & eadem res variis poteſt deſcitbi nominibus. ex. cauſſa. DEVS alio nomine vocatur *Cauſa prima*, & alio *Primus Motor*; itemque alio vocatur *Prima Intelligentia*.

Secundum eſt. Noſcere oportet varias eiuſdem nominis ſignificationes. Sicut enim calculus aliquis pro diuerſitate locorum varios ſignificat numeros, ita vnum idemque nomen varios habet ſignificatus.

3. eſt. Oportet cognoſcere an res illa de qua quæritur exiſtat, aut exiſtere poſſit; Nemo enim cognoſcere poteſt hominem eſſe irrationalem, quia homo nequit eſſe irrationalis.

4. eſt. Oportet cognoſcere quid res ſit, i. cognoſcere definitionem oportet. Qui enim definitionem rei ignorat, is principium totius ſcientiæ ignorat.

5. eſt. Intelligere oportet *rei qualitates*, i. effectus, variaſque vires, quia ex effectibus tanquam ex fructibus res cognoſcimus.

6. Cognoſcere oportet *cauſas* rei. Hinc. *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.* id eſt, oportet ſcire quiſnam rem fecerit, & propter quem finem, & ex qua materia, & quamnam formam rei dederit. ex. c. ſi velis cognoſcere domũ, noſces quod ædificator extruxerit in eum finem vt inhabitare poſſimus. ex lapidibus, ex lignis, tanquam ex materia; & quod forma ſit quadrata, vel rotunda, vel alia

Capvt primvm.

DE PHILOSOPHIA.

Quæ ſunt Philoſophiæ celeberrimæ nomina.

PRimvm eſt. Philoſophia ex Græcis ſignificat amorem ſapientiæ.

Sed obiicies. Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. ait Ariſtoteles: Ergo ſi Philoſophia ſit amor & ſapientiæ deſiderium, omnes erunt Philoſophi. Reſpondeo. Philoſophia non eſt vulgaris amor ſapientiæ, ſed amor cum ſtudio & indagatione ſolerti veritatis: Itaque omnes homines ſunt naturales Philoſophi propter innatum cognoſcendi deſiderium, ſed quòd labori parcant in ſapientia indaganda; ideò pauci ſunt Philoſophi.

II. nomen eſt σοφία, quod Græcis eſt quaſi σαφία, id eſt, claritas.

Obiicies. Nihil eſt obſcurius Philoſophiâ: ergo malè Philoſophia à claritate vocatur. Reſpondeo nihil eſſe clarius ipſis Philoſophiæ principiis, quæ vocantur Axiomata; v. gr. Axioma Philoſophiæ eſt hoc: *Omne totum eſt maius ſuâ parte*; quo axiomate nihil poteſt eſſe clarius. Verum quidem eſt eſſe quaſdam res difficiles & obſcuras, quia

valde eſt imbecillis humanus intellectus, qui res clariſſimas aliquando vix poteſt intueri, & eſt ſimilis veſpertilioni, aut noctuæ, quæ non poteſt ſolis lumen licèt clariſſimum intueri.

Quid ſignificat PHILOSOPHIA.

1. Significat perfectam rerum ſcientiam; ſed hæc vel nulli, vel pauciſſimis eſt conceſſa. ideò Pythagoras dixit neminem eſſe ſophum, i. ſapientem, excepto DEO.
2. Significat indagationem & inquiſitionem veritatis & ſapientiæ. Sicut enim venatores non ſemper feras capiunt quas venantur; ita Philoſophi non ſemper verum quod inquirunt reperiunt.

Eſtne aliqua Philoſophia?

IDeò dubitatur, quòd Philoſophi vocentur Patriarchæ hæreticorum: ideò Philoſophia nulla eſt. Reſpondeo veros Philoſophos nouiſſe Deum, vt S. Scriptura docet: ergo Philoſophia eſt. Sunt autem quidam philoſophaſtri, qui multa turbarunt in Fide Chriſtiana, de quibus non loquimur.

Obiicies. Philoſophi non magis inter ſe

conueniunt quàm horologia: ergo cùm habeant diuerſiſſimas opiniones, certè à veritate aberrant. Reſpondeo; Etiamſi circa Fidem Chriſtianam multæ ſint hæreſes, non tamen ſequitur Fidem Chriſtianam non eſſe veram: ita licèt diuerſæ ſint opiniones in Philoſophia: non tamen ſequitur Philoſophiam non eſſe veram.

Quis eſt author Philoſophiæ?

1. EST DEVS. Probatur. A Deo eſt omne bonum: ſed Philoſophia quia docet & ſeipſum & Deum cognoſcere, bona eſt: ergo Philoſophia eſt à Deo.

2. Inſtaurator Philoſophiæ eſt Ariſtoteles, qui ob præſtantiam vocatur DÆMONIVM NATVRÆ, de quo dicitur quod modum exceſſerit ingenij humani, de quo canitur,

Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominum.

Quis eſt finis Philoſophiæ.

EST Felicitas humana, quam humanis viribus acquirere poſſumus.

Prob. Finis Philoſophiæ eſt ſcientia & actio virtutum, ſed actio virtutum & ſcien-

tia eſt fœlicitas noſtra: ergo Philoſophiæ finis eſt fœlicitas.

Obiic. Diuites in diuitiis, nobiles ac magnanimi, & politici in honoribus, principes & ſerui in voluptatibus fœlicitatem conſtituunt: ergo finis Philoſophiæ non eſt fœlicitas. Reſpond. 1. diuitiæ ad aliquem finem & vſum referuntur: ergo non ſunt vltimus finis, ſeu fœlicitas. Reſpond. 2. Honor non eſt fœlicitas, nam fœlicitas eſſe debet in noſtra poteſtate, ſed honor non eſt in honorato, ſed in honorante etiamſi quis digna honore faciat, non tamen ideò ſemper honoratur. Reſpond. 3. Si voluptas eſſet fœlicitas, bruta æquè fœlicia forent ac homo, cùm iiſdem fruantur corporeis voluptatibus. Deinde quemadmodum oculus non eſt factus, nec ſpes, nec manus ad voluptatem, ſed ad aliquam actionem: ſic & homo non ad voluptatem, ſed ad actionem virtutis factus eſt.

Quæ eſt materia Philoſophiæ.

MATERIA de qua tractat, id eſt, obiectum Philoſophiæ, ſunt omnia omnino quæ humanâ ratione indagari licet. Articuli Fidei Chriſtianæ non poſſunt per rationem philoſophicam cognoſci, ideò non ſunt materia Philoſophiæ.

Quid eſt Philoſophia.

1. EST Cognitio rerum humanarum, i. mortalium & corporearum. Item eſt cognitio rerum diuinarum, id eſt ſpiritualium & immortalium.

2. Philoſophia eſt cognitio rerum per cauſas. nam alij homines obſcurè tantum res cognoſcunt, Philoſophi autem clarè. Is autem clarè nouit, qui cauſas nouit.

3. Philoſophia eſt Medicina animi. nam laboramus vitio & ignorantiâ, quorum vtrumque Philoſophia tollit.

Qualis eſt Philoſophia.

1. PHILOSOPHVS eſt liber: & Philoſophi eſt imperare, Item eiuſdem eſt docere.

Ratio eſt. Is liber eſt, qui paſſionibus animi non eſt ſubiectus. Item Plato dixit reſpublicas fore beatas ſi Philoſophi imperarent ſiue ſapientes, & apud Perſas nemo rex erat niſi & ſophus idem eſſet. Tandem cuius eſt docere niſi ſapientis?

2. Sophia ſiue ſapientia nata eſt ex Philoſophia, ſiue indagatione: Philoſophia ve-

rò nata eſt ex admiratione, admiratio ex ignorantia; nam omnium rerum ignari naſcimur. Ex ignoratione mirabilium effectuum naſcitur admiratio: ex admiratione inquiſitio, & tandem ex inquiſitione generatur ſapientia.

Quotuplex eſt Philoſophia.

TRiplex: Vna *Contemplatiua*, altera *Practica*: tertia *Effectiua*, ſiue *Artes*.

Ratio eſt, ſi cognoſcamus res quas efficere non poſſumus, v.gr. Deum, Angelos, Elementa, tunc eſt Philoſophia contemplatiua; Si verò res cognoſcamus quas per artes exercere poſſumus in actionibus virtutis, tunc eſt Philoſophia practica.

Rectè antiqui Philoſophiam Iridi comparaˉrunt. vt enim Iris apud Poëtas vocatur Filia admirationis, ſeu Taumantis; ita Philoſophia ex admiratione naſcitur: & ſicut triplex eſt color Iridis, ita triplex eſt Philoſophia. Per cœruleum colorem tanquam per infimum ſignificantur Artes: per flammeum colorem tanquam per ſupremum ſignificatur Philoſophia contemplatrix: per viridem colorem tanquam per medium ſignificatur Philoſophia practica.

Quotuplex eſt Ars.

Triplex, vna rationalis, ſeu LOGICA, ſeu DIALECTICA, quæ rationem humanam labilem firmat, & informem format. Alia eſt ſermocinalis, ſc. Rhetorica, & ſimiles, quæ orationi præſunt, eamque excolunt. Tertia eſt realis, ſcil. omnis illa quæ aliquid opus materiale efficit, vt Architectura, & ſimiles.

Quotuplex eſt Philoſophia practica, ſeu Moralis,

Triplex: vna vocatur *Monaſtica*, quæ docet qua ratione homo ſibi & ſolitarius ſecundum rectam viuere poſſit ex virtute rationem. Vbi nota dictum Ariſtotelis: *Homo*, inquit, *qui ſolitarie viuit, aut Deus eſt, aut beſtia.* Secunda vocatur *Oeconomica*, quæ mores familiæ ad virtutem conformat. Tertia eſt *Politica*, quæ rempublicam gerit ex præcepto virtutum. Multi enim fuerunt feliciſſimi in Politica, qui infeliciſſimi fuere in Oeconomica, & è contrà: Auguſtus nempe Imperator feliciſſimus fuit in republica adminiſtranda, ſed infœliciſſimus in familia regenda.

Quotuplex eſt Philoſophia contemplatrix.

Eſt triplex. Prima vocatur METAPHYSICA, quæ res ſpiritales contemplatur: Secunda eſt PHYSICA, quæ res materiales & mortales ſpeculatur: Tertia eſt MATHEMATICA, quæ figuras & numeros contemplatur. Videntur autem res Mathematicæ eſſe quaſi mediæ inter res ſpiritales & materiales.



LOGICAE

COMPENDIVM.

CAPVT PRIMVM, continens ea quæ ſolent vocari Artis Prolegomena.

Quæ ſunt nomina celebria Logicæ?

PRimum eſt LOGICA. Apud Ariſtotelem nunquam legitur ſubſtantiuè, ſed adiectiuè, ſcil. Logica Logicorum, non autem Logica Logicæ.

Logica deriuatur à Græco λόγος, quæ vos ſignificat orationem duplicem: vnam internam ſiue mentalem, quæ nihil aliud eſt quàm mentis cogitatio. Alia eſt oratio externa, quæ nihil aliud eſt quàm oratio voce aut ſcripto expreſſa, quia nimirum Logica rectè cogitare, vera eloqui, & verè ſcribere res veras docet.

Google

Hinc notandum eſt quod Græci Hominem definiant eſſe *Animal Logicum*, i.rationale; &, liceat ita loqui, orationale; quia & ratione & oratione homo diſtinguitur à cæteris animantibus. Itaque oratione interna nobiſcum ratiocinamur, oratione vocali cum præſentibus, oratione ſcripta cum abſentibus.

Obiicies. Nonne Grammatica & Rhetorica docent orationem? Reſp. Grammatica orationem congruam, Rhetorica ornatam & diffuſam: ſed Logica orationem philoſophicam, id eſt veram, aut ſaltem probabilem, & breuem.

Secundum nomen eſt Dialectica, quæ vox à Græco eſt διαλέγεσθαι, id eſt, in vtramque partem diſputare, vt loquuntur hodie, pro & contra; quia Dialectica docet vel ex tempore diſputare poſſe & defendere quamcumq; rem ſiue affirmando, ſiue negando.

Tertium eſt Organvm ſiue inſtrumentum, quia Logica ſuppeditat inſtrumenta ſeu regulas & formas cognoſcendi omnes artes & ſcientias.

Nota, elegantiores homines emblemata Logicæ afferunt, Manum, Libram ſeu bilancem, Amuſſim ſeu Regulam, item Cribrum. Nam Logica eſt manus Philoſophiæ

non expanſa, vt Rhetorica;ſed contracta, vt comprehendere poſſit omnia. Deinde Rhetor pauca dicit multis: ſed Logicus multa paucis. Prætereà quædam lance res ponderantur: ita omnia quæ dicuntur, ad libram logicam examinantur: & vt regula architecto neceſſaria, ita philoſopho Logica: & vt cribro puriora & ſubtiliora diſcutiuntur ab impuris, ita per Logicam vera à falſis, probabilia ab improbabilibus.

Quid ſignificat Logica.

1. Artem, quæ omnes formas, præcepta & regulas bene intelligẽdi tradit. 2. ſignificat facultatẽ per quam de quacunque re poſſis vel ex tempore diſcurrere. ſed hoc ſæculo hæc facultas periit, non enim eam ex Ariſtot. perfectè quiſquam didicit.

Eſt-ne aliqua Logica?

Ideò dubitatur. Logica docet fallacias, ſiue ſophiſmata, & errores, ergo non poteſt eſſe ars liberalis. Reſp. quemadmodum Medicus docet morbos vt curare poſſit:ita Logicus ſophiſmata vt euitemus, & ne decipiamur. Reſp. 2. Omnis ſcientia etiam quæ de malo eſt, bona eſt & honorabilis, ait Ariſtoteles.

Quis eſt finis Logic.

Eſt triplex. Primus eſt vt cognoſcamus præcepta diſſerendi: Secundus eſt vt rectè diſ-

ſerere poſſimus: tertius eſt vt veritatem inueniamus. Ideò enim diſcimus præcepta vt diſſeramus, ideò diſſerimus vt veritatem inueniamus.

Obiicies. Multi diſcunt propter lucrum aut gloriam: ergo eſt alius finis Logicæ: Reſp. Iſte eſt finis artificis, non autem artis.

Quis eſt author Logicæ?

Ille idem qui eſt author vniuerſæ Philoſophiæ.

De qua materia tractat Logica?

Philoſophi materiam alicuius ſcientiæ aut artis vocant Obiectum, ſiue Subiectum.

Obiectum dicunt eſſe duplex: vnum materiale, alterum formale.

Materiale eſt omne idcirca quod ars verſatur & occupatur, & ex quo aliquid efficit, v. gr. Architectura occupatur circa ædificia, & ex lapidibus ligniſque facit domum; ideò ædificare, ædificium, lapides & ligna ſunt materiale obiectum Architecturæ.

Formale obiectum vocant rectitudinem ſiue bonitatem operis, v.gr. benè & rectè ædificare, ſiue recta domus, & ſecundùm regulas eſt formale obiectum Architecturæ.

Reſpondeo igitur, materiale Logices obiectum ſunt operationes mentis humanæ, quæ vocantur intellectiones, item opera mentis

humanæ, quæ vocantur entia rationis: item omne omnino intelligibile: Logici verò vocant obiectum ſuum Intentiones primas & ſecundas, quę nihil aliud ſunt quàm operationes mentis, & opera mentis, ſiue entia rationis.

Probatur reſponſio. Materiale obiectum cuiuſcumque artis ſunt actiones & opera illius artis; atque adeò materia circa quam occupatur, vt Architecturæ obiectum eſt ædificatio ædificium, lapides, & ligna: ſed Logica occupatur circa operationes mentis, circa entia rationis, & circa omne intelligibile: ergo iſta ſunt obiectum.

Nota. Duplex eſt ens vnum reale, & eſt id quod vel eſt, vel eſſe poteſt, etiam ſi nemo cogitet, vt nix, tonitru, domus, &c. Alterum eſt ens rationis, quod nec eſt, nec eſſe poteſt niſi intellectus cogitet, vt Chymæra.

Reſp. 2. Formale obiectum Logicæ eſt rectitudo, ſiue bonitas, ſiue methodus & modus bene intelligendi, beneque diſſerendi.

Probatur. Omnis artis formale obiectum eſt rectitudo operationis & operis, quod facit quia artes non docent facere, ſed facere bene; vt ſaltatio non docet ſaltare, ſed bene ſaltare ergo & Logicæ obiectum eſt methodus bene diſſerendi.

Quæ eſt forma Logicæ, ſiue eſt-ne ars, an ſcientia?

Reſpondeo. Logica eſt ars. probatur. Ars eſt habitus cum vera ratione actiuus, ſed Logica cum vera ratione effectiua, id eſt, ſyllogiſmum, & alia opera facit: ergo eſt ars. Obiic. omnis ars facit opus externum, i. palpabile & ſenſibile, vt Architectura domum, ars pingendi picturam, quæ ſunt opera ſenſibus percepta: ſed Logica cùm mente ſola abſque voce aut ſcripto ratiocinatur, non facit opus externum, ſed internum: ergo Logica non eſt ars. Reſpond. 1. Non opus eſt ab omni arte neceſſariò fieri opus externũ, & externũ: nam Rhetorica ars eſt, & tamen cum ſolâ mente orationem componit, nec eloquendo, nec ſcribendo nihil ominus opus artificiale cenſetur feciſſe: ergo licèt Logicus tantùm mente diſcurrat, nihil ominus opus fecit artificiale.

Obiic. Logica eſt ſcientia, quia ſcientia eſt cognitio per cauſam rerum neceſſariarũ, Logica autem cognitio eſt rerum neceſſariarum per cauſam: ergo eſt ſcientia. Reſp. Logica non eſt de neceſſariis, quia apud Ariſtotelem non ſunt neceſſaria quæ poſſunt fieri à nobis: ſed Logica tractat de ſyllogiſmis qui fieri poſſunt: ergo non tractat de neceſſariis: atque ideò non eſt ſcientia.

Quid

Digitized by Google

Quid eſt Logica?

Eſt ars regendi actiones intellectus inuenta à philoſophis ad cognitionem veritatis, Aliter. Logica eſt ars *Veri, Falſi*, & *Neutrius. Neutrum* vocatur quod eſt probabile, ſeu veriſimile

Qualis, & quotuplex eſt Logica.

1. Logica vel eſt *naturalis*, quæ nihil aliud eſt quàm potentia, aut acumen naturale ratiocinandi; Vel eſt *artificialis*, præceptis acquiſita.

2. Logica vel eſt *mentalis*, per quam nobiſcum ratiocinamur: vel eſt *vocalis*, per quam ratiocinamur cum præſentibus: vel eſt *ſcipta*, per quam cum abſentibus ratiocinamur.

3. *Logica* vel eſt *docens*, quæ nihil aliud eſt quàm ea quæ præcepta tradit ratiocinandi: vel eſt *vtens*, id eſt, quæ applicant precepta vel Theologico, vel Medico diſcurſui. itaque Theologia & Midicina nihil aliud ſunt quàm Logica Vtens.

4. Logica neceſſaria eſt ad omnes ſcientias, quia nemo ſine recto diſcurſu, qui per ſolam Logicam docetur, ſcientias acquirere poteſt.

Quot ſunt partes Logicæ?

Tres. 1. eſt de omni materia de qua poteſt fieri diſcurſus: ſiue de omni intelligibili. 2. eſt de actionibus mentis rectè formandis. 3. eſt de operibus mentis, ſiue entibus rationis.

CAPVT II. LOGICÆ.

De omni materia ſimplici circa quam verſatur Logica, ſiue.

DE TERMINIS.

Quotuplex eſt materia ſimplex?

OMNIS res vel eſt tranſcendens, vel ſupertranſcendens, vel categor[illegible]a. 2. omnis res vel eſt vniuerſalis, vel ſingularis, vel particularis, vel indifferens; de quibus cum Ariſtotele & ex ipſius Logica dicendum.

Quid eſt res, ſeu terminus tranſcendens?

TRANSCENDENS eſt quod in omni re reperitur, ſiue quod rebus & corporeis & ſpiritalibus conuenit.

1. autem ſunt hæc. Ens, Vnum, Verum, Bonum, Res, Aliquid.

2. Sunt Vniuoca, Æquiuoca Analoga. Quia nulla res eſt quæ non ſit Ens, quæ non ſit Vera, quæ non ſit Aliquid. nam Angelus Ens eſt, verus eſt, aliquid eſt, &c. imò ſi aurum non ſit verum, non ſit bonum, non eſt aurum.

3. Sunt Abſtracta, Abſoluta, Concreta, & Connotatiua.

Quid eſt Vnum?

VNVM eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum à quod-

libet alio. vt, ego vnus ſum, quia partes meæ non à ſe inuicem diuiſæ, & quia diuiſus ſum & diſtinctus ab omni alia re.

VNI opponitur DISTINCTVM.

DISTINCTVM aliquid eſt vel realiter, vel ex natura rei.

Illud eſt diſtinctum realiter, quod eſt ſine alio, aut ſine alio eſſe poteſt, ſic ego & tu diſtinguimur realiter.

Illa ſunt diſtincta ex natura rei quæquidem non poſſunt eſſe ſeparata, ſeparatimque poſſunt concipi mente; vt enim in Ludouico Chriſtianiſſimo rex Nauarræ & rex Franciæ, non poſſunt eſſe ſeparata, poſſum tamen regem Franciæ concipere non concipiendo regem Nauarræ.

Quid eſt VERVM.

Omne Ens Verum eſt, ſiue quicquid eſt, verum eſt, & id non eſt, falſum eſt. vt, ſi non ſit verum argentum, non eſt argentum; ſed ſi ſit argentum, eſt verum argentum.

Quid eſt BONVM.

BONVM eſt quicquid conueniens eſt diuinæ voluntati: hinc quia peccatum Deo non conuenit, peccatum non eſt bonum.

Quid eſt RES, *&* ALIQVID

RES eſt quæ ratum habet eſſe ſiue firmum: ſic hominis eſſe ſeu natura eſt firma, quia ho-

mo ſemper eſt animal rationale.

Aliqvid idem eſt ac aliud quid, vt, homo eſt aliud quàm brutum; quia eſt aliud quid

Quid eſt Svpertranscendens.

Eſt omne id quod tam rei quàm nihilo ſiue non rei conuenire poteſt Talia ſunt Cogitabile, Intelligibile, Imaginabile, Volibile; quia poſſum cogitare id quod eſt, & id quod nō eſt.

*Quid eſt V*nivocvm, *Æ*qvivocvm, *& A*nalogvm.

Aliquando plures res habent idem nomen, v. gr. Petrus Paulus habent nomen hominis idem. Iam verò cùm plures res habeant idem nomen, & eamdem naturam, vocantur Vniuoca, vt Petrus & Paulus quia ſunt Galli habent eandem naturam quatenus ſunt Galli ſeu Franci, ideò Gallus eſt Vniuocum. Quando plures res habent idem nomen & ſimilem naturam, vocantur Analoga; vt gallus verus & gallus pictus habent idem nomen Galli, & ſimilem tamen naturam, ideò Gallus eſt analogum. Si res habeant idem nomen, & diuerſas naturas, vocantur Æquiuoca, vt Taurus quatenus montem, & animal ſignificat.

Quid eſt Terminus Categoricus, ſiue Categoria.

Terminus, ſeu res Categorica nihil aliud eſt quàm Svbstantia, & Accidens. Quicquid eſt vel per ſe ſubſiſtit ſine auxilio

alterius,& vocatur Subſtantia;vel exiſtit in alio,& eſt Accidens.

Emblema Subſtantiæ& Accidentis hoc eſt: Sicut arbores quædam ſolæ ſurgunt, vt Vlmus? ita Subſtantia per ſe ſubſiſtit: ſicut aliæ non aſſurgunt niſi innitantur & adhæreant aliis, vt vitis,& hedera;ita Accidens non exiſtit niſi in alio. Non tamen omne quod in alio eſt vocatur Accidens. nam ſi aliquid ſit in lio tamquam ipſius pars, non eſt accidens: vt manus licèt ſit in homine,quia tamen eſt pars ipſius non eſt accidens, ſed ſubſtantia.

Præterea ſi aliquid ſit in aliqua re ſine qua eſſe poteſt,non eſt accidens, vt vinum licèt ſit in dolio,quia tamen ſine dolio eſſe poteſt,non eſt accidens.

Quot ſunt Subſtantiæ.

Deus, Angeli boni & mali, Cæli, Elementa, Stellæ, & Planetæ in cælis: ea quæ naſcuntur in aëre, vt nix, grando,pluuia,nebula,fulmen:ea quæ naſcuntur in terra, vt fontes, fluuij, metalla, lapides: tandem ſubſtantiæ ſunt omnes plantæ,omnia animalia & zoophyta, vt ſunt oſtrea, & tandem homo.

Quot ſunt Accidentia?

Sunt 9. hoc ordine: Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situm, Habere.

Quid eſt, & quotuplex Quantitas?

Quantitas eſt ens per ſe extenſū. Vna quan-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quam facultatem & imbecilitatem vt equus facultatem ad hinniendum, homo ad ridendũ rhabarbarum ad curandum. Quæ facultates ſi minùs ſint excellentes, vocantur imbecillitates; vt luſcus imbecillem habet viſum, ſicut & lippus: ita imbecillitatem pedum habet valgus & varus.

4. Qualitas eſt omnis forma & figura, vt forma quadrata domus, pyramis, circulus. nam figura multùm conducit ad actionem. vnde qui caput habent figurâ varium, non autem æquale, bono cenſentur ingenio: ſicut & illi qui habent tempora compreſſa.

De Relatis.

Relata ſunt quorum eſſe eſt aliorum eſſe, id eſt, quæ non ſunt ſibi, nec proſe, ſed pro aliis; v. gr. Pater non eſt ſibi pater, nec pro ſe, ſed eſt pater filij, ſiue pro filio. Vno verbo dicam. Relata ſunt ea nomina, vel potiùs res quę regunt genitiuum, v. gr. ſeruus eſt domini, preceptor eſt diſcipulorum.

De Actione, *&* Passione.

Eſt eadem omnino res Actio & Paſſio, ſed tantùm ex natura rei diſtinguntur, id eſt, diuerſo reſpectu. Nam actio eſt res quæ procedit ab agente; Paſſio verò eſt res eadem prout recipitur in patiente; vt calefactio quatenus promanat ab igne vocatur actio, quatenus recipitur calefactio in aqua vocatur paſſio.

De QVANDO.

QVANDO non eſt Tempus, quia Tēpus eſt quantitas, vt dixi.

Sed QVANDO eſt eſſe in tēpore, quomodo ſunt res omnes mortales: vel eſſe in Æuo, quomodo ſunt res immortales, quæ tamen habuerunt principium. Sic Angeli ſunt in æuo vel Quando eſt eſſe in Æternitate; quomodo DEVS ſolus eſt qui nec Principium nec finem habet.

De VBI.

VBI non eſt locus, ſed eſſe in loco. Res materiales ſunt in loco circunſcriptiuo, i. totum eſt in toto loco, & pars eſt tantum in parte loci, vt ego totus ſum in toto loco, ſed manus eſt tantum in parte mei loci.

Res ſpiritales ſunt in loco definitiuo, id eſt, totum eſt in toto loco, & totũ eſt in quauis parte loci; vt Angelus, v. gr. eſt totus in hac ſchola, & totus in qualibet parte ſcholæ. Sic Deus eſt totus in toto mundo & totus in qualibet parte mundi.

De SITV.

ESSE SITVM, ſiue eſſe poſitum, eſt certo modo habere partes in loco; vt ſtare, cubare, ſedere, &c.

Res ſpiritales nullum habent ſitum, quia nullas habent partes realiter diſtinctas, ideoque Angelus nullum habet ſitum.

Res materiales habent ſitum, præſertim animalia. Deus tamen poteſt rem maximam ad

punctum redigere, v. gr. facere vt homo non maius ſpatium occupet quàm punctum, hoc modo res materialis non haberet ſitum.

De HABERE.

HABERE hoc loco eſt eſſe veſtitum, aut ornatum, aut eſſe armatum: vt eſſe ocreatum, eſſe palliatum.

HABERE eſt duplex, vnum artificiale, vt eſſe pileatum, calceatum: alterum naturale: vt eſſe barbatum, eſſe piloſum, eſſe lanâ tectum, vt oues: eſſe teſtatum, vt oſtrea.

Duplex Vtilitas Subſtantiæ & Accidentis.

Vt aliquis ex tempore diſcurrere poſſit, habeat ex his Terminis Categoricis.

I. igitur cùm proponitur aliqua res, v. gr. (homo) videndum eſt quidnam poſſit de homine dici, ſiũ efferri, ſiue prædicari; v.gr. quòd homo ſit animal, iam videndum eſt quid poſſit efferri de illo prædicato, i. de animali; v.gr animal eſt viuens, hinc ſtatim concludo: ergo homo eſt viuens. hoc modo ex tempore de quacumque re fiet ſyllogiſmus; v. gr. de Dialectico dicimus quod ſit Philoſophus: de Philoſopho: dicimus quod ſit doctus: ergo Dialecticus eſt doctus. Pariter hoc modo pyrus eſt arbor: ſed arbor fert fructus: ergo pyrus fert fructus.

II. De quacũq; re poterimus ita differere per omnes terminos categoricos, id eſt, per Sub-

ſtantiam, Quantitatem, Qualitatē, inſpiciendo & percurrendo omnia. Exemplum clariſſimum de homine: in ſubſtantia homo eſt animal rationale: In quantitate homines alij longi, Gigantes; breuis ſtaturæ, Pigmei; craſſi, ventripotentes, &c: In qualitate homines habent diuerſas diſpoſitiones, habitus, facultates, formas & figuras. In relatione alius eſt pater, alius eſt filius, magiſter, &c. In Actione & Paſſione varia homines agunt: in Quando diutiùs viuunt: in Vbi homines ſunt in diuerſiſſimis locis. In Situ alij ſtant alij ſedent, &c. In Habere varius eſt ornatus, varius veſtitus.

De Vniuerſalibus & Singularibus.

Quæ nomina & ſignificatus Vniuerſalis.

VOcatur VNIVERSALE, ſiue Catholicùm, quòd Vniuerſalia quæ idem nomen participant ſub ſe complectatur, v. gr. Homo eſt vniuerſalis, quia omnes homines complectitur.

Vocatur etiam P*erpetuale*, quia Vniuerſalia nunquam pereunt: licèt enim omnes homines moriantur, natura tamen humana quæ eſt vniuerſalis nunquam moritur.

Vniuerſale primò ſignificat vniuerſalē rem

in cauſando, ſiue cauſam vniuerſelem, ſcil. Deum qui eſt cauſa vniuerſorum.

2o. Significat vniuerſale platonicum, id eſt ideas ſiue exemplaria in Deo, per quas ideas Deus omnia efficit. Quemadmodum enim architectus habet ideam domus in mente quæ vocatur Domus Mentalis, & per quam omnes facit ædes, ſcil. ad ſimilitudinem illius domus: ita Deus habet rerum omnium imagines ſeu exemplaria, ad quorum ſimilitudinem vniuerſa facit. Sic enim Deus loquitur: *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

3. Significat Vniuerſale Nominalium Philoſophorum, quorum author eſt Okamus ſubtiliſſimus mortalium. Hoc Vniuerſale nihil aliud eſt quàm aliquod nomen commune, ſiue appellatiuum, quod multa ſignificat: vt hoc nomen, Arbor, vniuerſas ſignificat.

4. ſignificat vniuerſale Peripateticum (de quo loquemur) & nihil aliud eſt quàm natura aliqua per nomen conmune ſeu appellatiuum ſignificata: vt per nomen. Arboris ſignificatur natura arboris; per nomen Philoſophiæ ſignificatur natura Philoſophiæ, ideò arbor, ideò Philoſophia eſt Vniuerſale Vno verbo dicam Quicquid multiplicari poteſt eſt vniuerſale: ideo Deus quia multiplicari non poteſt, ſiue quia non poſſunt eſſe plures veri Dii, ideò

Deus non eſt Vniuerſalis.

Eſt ne aliquod Vniuerſale in rerum natura?

Eſt. Probatur Homo multiplicatur, ſiue plures ſunt homines, ſiue natura humana eſt in multis hominibus, ſiue eſt communis multis hominibus: ergo homo eſt vniuerſalis, quandò quidem Vniuerſale ſit quod commune eſt in multis.

Quid eſt Vniuerſale.

Eſt vnum aptum ineſſe & prædicari de multis diuiſim & directè.

Sic explicantur partes Definitionis. Dicitur *Vnum*, id eſt, vna natura vniuoca. Vnde Gallus quatenus ſignificat hominem & auem, eſt æquiuocum, ideò non eſt Vniuerſale: ſed Gallus quatenus tantùm ſignificat homines Gallos eſt vniuerſale Dicitur *aptum ineſſe multis*: quod eſt aptum multiplicari & communicari multis; quia non eſt neceſſe vt aliquid ſit vniuerſale vt inſit multis, dummodò poſſit in eſſe: ita ſol licèt tantùm ſit vnus, quia tamen diuinitùs multi eſſe poſſunt ſoles, ideò eſt vniuerſale. Dicitur *aptum prædicari de multis directè*. Prædicari eſt verè de aliquo affirmari. Prædicari directè ſignificat ea quæ plura continent de iis prædicari quæ pauciora cõtinent; v.gr. plura ſunt animalia quàm homines, ideò bene dico, homo eſt animal: male autem dicerem, animal eſt homo.

Quis finis Vniuerſalium?

Eſt vt de rebus ſcientiam habeamus. Nam qui cupit cognoſcere quid ſit Homo, non deſiderat hunc aut illum hominem cognoſcere, ſed humanam naturam generaliter.

Quæ materia Vniuerſalium?

Eſt omnis natura quæ ſignificatur per nomen appellatiuum, exceptâ naturâ diuinâ.

Quæ efficiens Vniuerſalium?

Eſt intellectus humanus qui naturam ſeparatam conſiderat: id eſt, licèt natura humana ſemper reperiatur in aliquo ſingulari homine vt in Petro, &c. intellectus tamen naturam abſolutè conſiderat, non conſiderando vtrum ſit in Petro Paulo, &c. Vnde pulcra eſt propoſitio: Vniuerſale abſtrahit ab *hîc* & *nunc*. id eſt, Vniuerſale conſideratur non conſiderando quod ſit in tali loco, aut tali tempore.

Quæ forma Vniuerſalis?

Eſt *Vniuerſalitas*. Hæc autem nihil aliud eſt quàm naturæ aptitudo vt inſit multis.

Qualis & quotuplex Vniuerſales?

Vniuerſale eſt notiſſimum & ignotiſſimum nam facilius eſt cognoſcere hominem, quàm hunc aut illum hominem. Sed difficillimum eſt perfectiſſimè hominem cognoſcere.

Vniuerſali 1. opponitur Singulare. Eſt autē Singulare omne id quod nomine proprio ſignific. vt Petrus, Paul⁹: itē omni id quod pro no-

mine demonſtratur, vt hoc lignum, iſte lapis, illa arbor: & vno verbo quicquid exiſtit, & ſenſibus percipitur, eſt ſingulare.

2. Vniuerſali opponitur particulare. Eſt autem particulare quod exprimitur per ſimiles voces (quidam, aliquis) vt quidam homo, aliquod lignum.

Differentia Singulare ſignificat aliquid vnum certum & determinatum: ſed particulare ſignificat quidem vnum, ſed non certum. Cùm Chriſtus Dominus dixit, *Vnus ex vobis me tradet*, erat particulare. Si verò diſſet, Iudas me tradet, fuiſſent ſingulare.

Quintuplex eſt Vniuerſale. Genus, Species, Differētia, Proprium & Accidens. Probatur. Vniuerſale eſt quod in multis eſt, aut eſſe poteſt. Quicquid eſt in multis, vel pertinet ad naturā illorū, vel promanat à natura, vel aliunde prouenit. Si aliunde, vocatur Accidens, v. g. quicquid non ineſt vniuerſis hominibus, illud eſt accidens; vt philoſophia, albedo, ſedere, loqui. Si promanat à natura, eſt Propriū, quia queuis natura habet aliquam proprietatē ſiue facultatē aliquid agendi. ſi riſibilitas hominis, hinnibilitas equi, potentia ad latradum, eſt canis proprium. Si eſt natura multorum, vel eſt pars naturæ, vel tota natura. Si eſt tota natura, vocatur Species, vt homo, quia eſt tota natura hominum: Si eſt pars naturæ, vel pars eſt cō-

munior, vel minùs communis. Pars communior vocatur Genus: pars minùs communis vocatur Differentia: v. gr. animal eſt Genus: rationale eſt Differentia in homine.

Nota admirabilem & muſicam ſtructuram rerum. nam in hormonia omnis vox conuenire debèt cum aliis omnibus, & diſcrepare ab omnibus aliis. Sic omnis natura per partem communem, ſiue genericam conuenit cum aliis, vt homo per animal conuenit cum brutis, ſed per partem minùs communem, id eſt per Differentiam diſcrepat ab aliis: vt homo per rationale differt à brutis.

Obiic. Præter prædicta Vniuerſalia Singulare eſt Vniuerſale, quia de pluribus ſingularibus prædicatur. Nam rectè dico Petrus eſt ſingulare, Paulus eſt ſingulare, &c. Reſpond. Singulare non eſt vniuerſale, quia vniuerſale, quia vniuerſale abſtrahit ab *hî* & *nunc*: ſed ſingulare eo ipſo quod ſingulare eſt non abſtrahit à *loco* & *tempore*. Cùm autem prædicatur de pluribus, tantùm æquiuocè prædicatur, quia ego habeo omninò diuerſam ſingularitatem à tua ſingularitate.

Quomodo prædicantur Vniuerſalia?

Vniuerſalia prædicantur vel in quæſtione *quid eſt*, vel in quæſtione *quale eſt*, vel in quæſtione *quale quid eſt*.

Quod prædicatur in quæſtione *quid eſt*, pre-

dicatur ſubſtantiuè, vt quid eſt homo? non debes reſpondere quod ſit rationalis, ſed quod ſit animal.

Prædicari in *quale* eſt adiectiuè prædicari, attamen accidentaliter: vt qualis eſt homo? eſt albus, calidus, doctus, &c.

Prædicari in *quale quid*, adiectiuè eſt, ſed tamen eſſentialiter prædicari: vt qualis eſt homo eſſentialiter? Reſpondetur: eſt rationalis.

De ACCIDENTE *Vt eſt Vniuerſale.*

ACCIDENS eſt quod adeſſe & abeſſe poteſt abſque ſubiecti interitu: v. gr. Philoſophia ſiue adſit, ſiue abſit à me, non ideò moriar.

Obiic. Nigredo eſt accidens in coruo, & tamen ab eo abeſſe non poteſt quin moriatur coruus: ergo non omne accidens abeſt ſine ſubiecti interitu. Reſpond. nigredo corui eſt accidens quidem inſeparabile naturaliter, poteſt tamen diuinitus ſeparari, & per cogitationem noſtram à coruo abeſſe poteſt. quid enim impedit quominus cogitem coruum abſque nigredine?

Obiic. Mors eſt accidens, nec tamen adeſſe poteſt homini abſq; ipſius interitu. Reſpond. 1. Mors non eſt accidens, ſed priuatio; illud, enim eſt priuatio quod aufert aliquid, & nihil dat: mors autem aufert vitam, prætereaque nihil dat. Reſp. 2. Mors nunquam adeſſe poteſt

poteſt homini, quia homo quamdiu homo verus eſt, animal eſt, & viuens: ergo mors homini adeſſe nequit.

De proprio.

Proprium eſt Vniuerſale quod prædicatur de pluribus in quæſtione *quale*, accidentaliter quidem, ſed neceſſariò: vt, qualis eſt homo? riſibilis.

Obiic Quomodo aliquid poteſt eſſe accidens, & tamen neceſſarium? ſiue quomodo aliquid prædicari poteſt accidentaliter, & neceſſario? Reſpond. Proprium eſt accidens, quia non eſt ipſamet natura; ſed à natura profluit: eſt autem neceſſarium, quia vt neceſſariò à fonte profluit aqua, ita à quauinatura neceſſario profluit Proprium.

Eſt autem Proprium facultas peculiaris cuiuſcumque naturæ, quæ ſoli illi conuenit: vt facultas ad ridendum ſoli conuenit homini.

Obiic. Vniuerſale multis ineſt: ſed proprium vni tantùm ineſt ſpeciei: ergo non eſt Vniuerſale. Reſp. Vni ſpeciei ineſt, attámen pluribus ſingularibus: v. g. licèt riſibilitas vni ſpeciei humanæ conueniat, nihilominus conuenit omnibus ſingularibus hominibus

Proprivm quod vocant *Propriiſsimum*, debet reciprocari. Eſt autem reciprocari quan-

do propoſitionem licet vniuerſaliter conuertere, hoc modo: Omnis homo eſt riſibilis: ergo omne riſibile eſt homo.

De Genere, & Specie.

Nota Genus & Speciem à Philoſophis per ſimilitudinem aliquam dici hoc modo. In familia aliqua Genus vocatur ille qui primus eſt author familiæ ſeu generis; v. gr. nos ſumus genere Adamici, quia Adamus eſt primus author generis humani. Iam verò Adamus ita eſt parens reliquorum, vt nullius ſit filius: qui verò deſcendunt ab Adamo, aliqui ſunt patres & filij ſimul, alij ſunt tantùm filij; v.gr. Caïn eſt filius Adami & ſimul parens ſuorum filiorum: ſed aliquis paruulus eſt filius, non autem parens. Ita omnium rerum ſunt Genera decem, quæ vocantur generaliſſima, ſcil. hæc, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, &c: quæ ita ſunt Genera, vt nihil habeant ſupra ſe & ante ſe: quemadmodum nec Adamus habet patrem. Iam verò ſunt aliqua quæ continentur ſub iſtis generibus, quæ vocatur Genera ſubalterna, id eſt quæ ſunt ſpecies generum generaliſſimorum, nihilominus ſunt etiam genera aliarum ſpecierum: ſicut Caïn eſt filius Adami, & pater filiorum; v. gr. animal eſt ſpecies Subſtantiæ, & tamen eſt genus ad

hominem &brutū. Iterum ſunt quædam quæ tantùm ſunt ſpecies,&quæ non habent plures ſub ſe ſpecies, ſed tantùm ſingularia;v. gr. homo non habet plures hominum ſpecies, ſed tantùm ſingulares homine; homo eſt ſpecies tantùm, ſiue ſpecies ſpecialiſſima.

Genus iam philoſophicum eſt quod prædicatur de pluribus ſpeciebus: vt animal prædicatur de homine & bruto.

Species eſt Vniuerſale quod tantùm prædicatur de pluribus differētibus numero in quæſtione *quid eſt*: v. gr. quid eſt homo.

Singularia de quibus dixi, dicuntur differre numero, id eſt, quadam accidentium connexione; v.gr. quomodo Petrus differt à Paulo? Reſpondetur quo differat numero, id eſt collectione horum accidentium.

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen. patria, tempus.

Impoſſibile enim eſt vt aliquis vnus homo habeat omnia eadem quæ aliquis alius habet: ideò vnum ſingulare ſiue indiuiduum ab alio differt numero.

De Differentia.

Differentia eſt Vniuerſale quod prædicatur de pluribus in quæſtione *quale quid*. Vt ſi quæram qualis eſt eſſentia hominis? Reſ-

pondes, eſt rationalis. Nam quæſtio *quid* petit eſſentiam, *quale quid* petit qualis ſit eſſentia.

Nota hominibus vltimas differentias rerum eſſe ignotas, vt nemo mortalium nouit quæ ſit vltima differentia aſini, aut equi, &c.

De reliquis Terminis.

De primo intent. & ſecundo intent.

Aliqua res ſumitur primò intent. cùm aliquid de ipſa prædicatur quod re verà ſiue realiter, ſiue quod idem eſt à parte rei ipſi conuenit: v. gr. homo eſt riſilis, mortalis, &c. primò intentionaliter.

Aliqua res ſumitur 2. intentionaliter cum aliquid de ipſa prædicatur quod illi non conuenit niſi per intellectum: v. gr. homo eſt vniuerſalis, homo eſt definitus, cognitus, prædicatum, antecedens, conſequens; hæc enim omnia non conueniunt homini niſi per intellectum.

De Termino in actu ſignato & in actu exercito.

Aliqua res ſumitur in actu ſignato cùm pro ſeipſa, non pro ſuis ſpeciebus ſumitur: in actu au t ẽ erxecito res ſumitur cùm non pro ſe, ſed pro ſuis ſpeciebus ſumitur. Exempla. Nomen

eſt quinque literarum, ſed *inhonorific abilitudinationibus* eſt nomen: ergo eſt quinque literarum. Maior propoſitio intelligitur in actu ſignato, non in actu exercito. Homo eſt Vniuerſale: Petrus eſt homo: ergo eſt, vniuerſalis Maior intelligitur in actu ſignato. Omne verbum coniugatur, intelligitur in actu exercito; nec enim hæc vox *verbum* coniugatur.

De Vniuerſo concreto & abſtracto.

Omne adiectium concretè ſumitur, & omne fermè ſubſtantiuum ſumitur abſtractè; v. gr. album eſt concretum. albedo eſt abſtracta.

CONCRETVM. ordinariè eſt Subſtantia, vt Albus concretè eſt Subſtantia, abſtractè verò albedo eſt ACCIDENS.

Sed notandum. Res illæ quæ ſunt ſubſtantiæ, vt Deus, homo, planta, &c. etiam concretè intelliguntur: Subſtantiua verò quæ ab ipſis formantur, intelliguntur abſolutè; vt deitas, humanitas, animalitas, petreitas, &c.

De Terminis MATERIALITER *&* FORMALITER.

Omnis res habet aliquam materiam qualemcumque tandem, per quam cum aliis conuenit, & hoc modo ſumitur *materialiter*; & habet aliquam formam ſeu differentiam per quam deffert ab aliis. Sic homo *materialiter* eſt animal, *formaliter* eſt ratonalis.

Capvt III.
De operationibus rationis.

Nomina & Significatus.

Operatio mentis vocatur Intellectio, Apprehenſio, Conceptio, Intentio. Sicut enim manus apprehendit rem quam tangit, ita & intellectus rem apprehendit, quam cognoſcit. Significat Intellectio non tantùm apprehenſionem, ſed etiam iudicationem rei quam cognoſcimus.

Quæ cauſæ & definitio Intellectionis.

Efficiens eſt mens humana, quæ non tantùm præſentia, exiſtentia & materialia cognoſcit quemadmodum ſenſus, ſed etiam cognoſcit ſpiritalia, vniuerſalia, & non exiſtentia.

Finis eſt cognitio veritatis, aut ſaltem probabilitatis.

Materia intellectionis eſt tam Ens, quàm Nihil; quia ſolemne eſt Philoſophorum dictum, *Oppoſitorum eſt eadem ſcientia*. v. gr. eadē Medicina tractat de morbo & ſanitate: ergo cùm ens intellectus cognoſcat, etiam & nihil cognoſcet, ſiue non ens, quod eſt oppoſitum Enti; imò intellectus ſe ipſum cognoſcit: ſed ſenſus ſeipſum cognoſcere nequit, nec enim auditus ſeipſum audit.

Forma intellectionis eſt Definitio, nempe intellectio eſt receptio & diiudicatio rei. Quemadmodum enim ſpeculum recipit imagines, ita intellectusrecipit ſeu imagines rerum quas intelligit.

Quotuplex eſt operatio mentis?

Communes Philoſophi recenſent tantùm tres operationes, ſed quatuor neceſſariò ſunt conſtituendæ. Prima operatio vocatur apprehenſiua; ſiue ſimplex intuitus. Eſt autem cognitio quâ aliquid intelligimus abſque affirmatione aut negatione, vt audito aut lectio aliquo nomine, ea conceptio quam de tali nomine formas, eſt prima operatio, vt conceptus de Deo, de homine, &c. Secundo operatio mentis eſt *affirmatio* & *negotio*, quæ fit per nomen& verbum; vt homo ſtudet, Deus creat dæmon non eſt bonus. Tertia eſt *diſcurſus*, cùm ex vna propoſitione colligitur alia: v. gr. homo eſt animal: ergo homo viuit. Quarta operatio eſt *Methodus* per quam multi diſcurſus & argumenta methodicè coniunguntur. Talis eſt oratio aliqua Ciceronis, aut tractatus aliquis ariſtotelis.

De prima operatione mentis.

Quomodo fit prima operatio mentis?

Fit tribus modis, ſcil. conceptu, aut voce,

aut ſcripto; ſed quomodocumque fiat Hermeneia, ſiue Interpretatio, ſiue Significatio, ſiue Signum: quia ſignificat aut rem, aut mentem noſtram, aut vtrumque.

Quid eſt Signum, & quotuplex.

SIGNVM eſt quod præter ſeipſum aliquid aliud potentiæ cognoſcenti repræſentat, v.gr. ſtatua Cæſaris præter ſeipſam etiam repræſentat ipſum Cæſarem Eſt duplex Signum. Vnũ ſignificat naturaliter, v.gr. fumus ignem: alterum eſt ex inſtituto aut Dei, aut Angelorum, aut hominum. Iris ex inſtituto Dei ſignificat pacem inter homines & Deum. Magici characteres ſignificant ex inſtituto dæmonũ: ſed linguæ ſeu dialecti ſignificant ex inſtituto hominum, quia nulla lingua naturaliter ſignificat, vt clarum eſt ex hiſtoria Regis Pſammethici in vocabulo *bec*, &c.

SCRIPTVRA verò duplex eſt, vna ſignificat vocem, & hæc eſt ſignum ex inſtituto: nam aliter Arabes, aliter Hebræi, &c. ſcribunt, quia ita inſtituerunt. Alia Scriptura eſt quæ rem ipſam ſignificat, vt hieroglifica Ægyptiorum, aut etiam picturæ, & hæc eſt ſignum naturale: vt leo pictus naturaliter leonem aut fortitudinem ſignificat

Sunt-ne conceptus iidem apud omnes mortales?

Sunt. Nam vel verum habes conceptum

ra, vel falſum; certè falſus conceptus non eſt conceptus, ſicut nec falſum aurum eſt aurum. Si autem eſt verus, eſt idem apud omnes. Sed nota. Idiotæ habent conceptum obſcurum, ſed docti clarum; vt ruſticus cælum obſcurè concipit, philoſophus clarè, ſcil. per definitionem.

De Signo vocali.

Certum eſt voces eſſe aptiſſimas ad docendum & diſcendum: ideò potiùs de ſignis vocalibus quàm de ſcriptis Logici loquuntur. Ergo orationis Logicæ duplex eſt pars: vna vocatur Categorema, altera Syncategorema.

Categorema eſt Nomen & Verbum Dialecticum: Syncategorema ſunt cætera orationis partes. Tam Nomen quàm Verbum in hoc conueniunt, vt vtrumque ſit vox ſignificans ex inſtituto cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, finita, recta. Dicitur in deſcriptione *vox*; ſonus, eſt etiam aliarum rerum, vt ſonus maris: ſed vox eſt animalis ore prolatus ſonus ad aliquid ſignificandum, ideò dicitur *vox ſignificans*. Nam tuſſis non eſt vox, quia non eſt inſtituta ad aliquid ſignificandum. Dicitur *ſignificans ex inſtituto*. Sed nota; Duplex eſt vox: vna inarticulata, quæ ſcribi non poteſt, & hæc ſignificat naturaliter: vt riſus, eiulatus, & aliorum animalium voces quæ ſignificant paſſiones animi, metum, lætitiam, &c. Aliæ ſunt vo-

ces articulatæ, quæ ſcribi poſſunt, & hæ non ſignificant naturaliter, ſed tantùm ex hominum inſtituto, vt lingua Gallica, Germana, Italica. Dicitur *cuius nulla pars ſignificat ſeparatum*, id eſt nulla vox plures generat conceptus; hinc gallus prout ſignificat hominem, & auem, non eſt vna vox. Dicitur *finita*, id eſt, quæ non ſignificet infinita, cui præponitur particula *non*; v. gr. non homo, non Deus, quia non homo omnia ſignificat præter hominem Dicitur *recta*, id eſt in recto caſu: indicatiuus modus eſt verborum rectus caſus. Dicitur in definitione Nominis, ſiue adiungitur quod ſignificet *ſine tempore*. Verbum autem ſignificat tempus, vt homo, ſtudium, &c. non ſignificant tempus: ſed ſtudet, ſtudemus, ſignificat ſtudium in tēpore præſenti. Adiungitur quod Nomen ſit ſemper ſubiectum, Verbum autē prædicatum, vt, homo ſtudet: prædicatum eſt ſtudet, ſubiectum eſt homo.

Nota tamen obiectionem. Verbum *ſum, es, eſt*, ſine dubio verbum eſt, & tamen non ſemper ſignificat tempus. Nam cùm dico, homo eſt animal, Deus eſt, non ſignificat tempus. quia vniuerſalia & Deus abſtrahunt à tempore.

Reſp. verbum *ſum, es, eſt*, valde eſſe æquiuocum, & tranſcendens: Nos autem loquimur de aliis verbis, ſcil. vniuocis.

De ſecunda operatione intellectus

De Nominibus & Significationibus.

VOcatur Enunciatio, quia eſt mentis nuncia. Vocatur oratio philoſophica, quia conceptus animi noſtri ſignificat: Oratio autem non philoſophica tantùm ſignificat paſſiones animi. .

Oratio non philoſophica eſt quadruplex, Vocatiua, Interogatiua, Imperatiua, Deprecatiua: Oratio autem philoſophica tantùm vna ſimplex eſt, & ſignificat propoſitionem, id eſt orationem quæ ex nomine & verbo conſtat. vt homo ſtudet. Vocatur aliter Iudicium; quia in coniunctioneconceptuum eluceſcit iudicium. Iam verò in prima operatione eſt ſimplex conceptus, ſed cùm in ſecunda fiat affirmatio, aut negatio, iudicium apparet.

Quid eſt Enunciatio?

Eſt oratio affirmans, vel negans; vera, vel falſa Quæritur vtrum Affirmatio ſit prior negatione? Reſpondeo, quemadmodum res creatæ antequam eſſent priùs defuerunt, ita in rebus creatis nō ens. & negatioprior eſt quàm

ens,aut affirmatio: ſed in rebus increatis non ens & affirmatio priora.

Quotuplex eſt Enunciatio?

Primò vel eſt vniuerſalis,quando aliquo vniuerſale prædicatur: vt ſi dicam homo eſt ſpecies: riſibile eſt proprium: vel eſt vniuerſalis vniuerſaliter accepta, in qua nimirum vna ex iſtis vocibus (omnis, nullus) præponitur: vt, omnis homo eſt mortalis,nullus homo eſt doctiſſimus.Dixi *præponitur*,ſcilic. ſubiecto:quia nunquam præponi poteſt (omne,aut nullum) alicui prædicato: v. g. homo eſt omne animal hoc falſum eſt. Deinde diligenter aduerte in omni ſyllogiſmo eſſe debere aliquam propoſitionẽ vniuerſaliter acceptam: Vel propoſitio eſt particularis, vt, quidam homo eſt doctus: vel eſt ſingularis, vt, Petrus flet: vel eſt indefinita, in qua non ſunt hæ voces, omne, nullũ,aliquid, hic, iſte aut nomina propria: vt homo eſt mortalis. II. Enunciatio vel eſt Categorica, vel Modalis, vel Coniuncta. Eſt autem coniuncta, in qua eſt aliqua harum coniunctionum (ſi, aut, &; vt, ſi dies eſt ſol lucet aut, dies eſt, aut nox eſt &;dies eſt & ſol lucet. Modalis eſt,in qua eſt vnus ex his terminis ſeu modis (Neceſſarium, Poſſibile Contingens, Impoſſibile vt, poſſibile eſt hominem ſaluari, neceſſarium eſt credere ad ſalutem: Impoſſi-

bile eſt hereticum ſaluari: Contingens eſt hominem ridere. Categorica eſt quæ abſolutè ſine modo ſine coniunctione pronunciatur vt, homo eſt miſerrimus.

III. Enunciatio eſt vel Analytica, ad quam non licet reſpondere, ita, vel non; vt, quid eſt homo? qualis eſt Deus? lAia eſt Dialectica Enuuciatio, ſeu quæſtio, ad quam licet reſpondere, ita, vel non; v. gr. vtrum diuitiæ ſint præferendæ nobilitati?

De qualitatibus Enuntiationis.

Prima eſt oppoſitio enuntiationum.

Oppoſitio eſt duarum propoſitionum repugnantia ſecundùm veritatem & falſitatem quamuis hæ propoſitiones eodem ſubiecto & prædicato conſtent; v. gr. homo flet, homo non flet.

Quando oppoſitio eſt inter duas ſingulares propoſitiones, vna neceſſariò eſt vera, altera falſa; vt, ego fleo: ego non fleo.

Obiicies. In rebus de futuro contingentibus, ſi vna neceſſariò vera eſt, altera falſa neceſſariò, fruſtrà virtutis ſtudium exercemus, &c. vt, ego damnabor, ego non damnabor. Si vna ex iſtis neceſſariò vera eſt, eueniet quidquid tandem agam, nec enim aliter euenire poteſt quàm Deus præuiderit. Reſpondeo I. Vna propoſitio neceſſariò vera eſt ex ſuppo-

ſitione, ſiue ex hypotheſi, id eſt, poſito quod Deus præuiderit, neceſſariò eueniet. Reſpondeo 2., Neutra propoſitio neceſſitate abſolutâ vera eſt. Nam id quod aliter euenire poteſt, ſiue quod poteſt fieri & non fieri, non eſt abſolutè neceſſarium: ſed id quod eueniet poteſt fieri vel non fieri: ergo non eſt abſolutè neceſſarium.

Quando vna Enunciatio vniuerſaliter affirmat, altera vniuerſaliter negat, vocantur contrariæ: hæ poſunt eſſe ſimul falſæ, non autem ſimul veræ; vt, Omnis homo eſt diues, nullus homo eſt diues, vtraque falſa eſt.

Quando vna propoſitio particulariter affirmat, altera particulariter negat, vocantur ſubcontrariæ, harum conditio eſt vt non poſſint ſimul eſſe falſæ; vt, quidam homo eſt Rex, quidam non eſt Rex.

De conuerſione Enunciationum.

Eſt alia proprietas, ſcil. Conuerſio.

Conuerſio eſt cùm ex ſubiecto fit prædicatum, & ex prædicato ſubiectum, manente tamen veritate, vt, Filius eſt Deus: ergo Deus eſt Filius.

Vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua ſimpliciter conuertuntur nihil immutando; vt, Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo: Quidam homo flet ergo quidam flens eſt homo.

Vniuerſalis affirmans conuertitur in particularem; vt, Omnis homo eſt mortalis, ergo aliquod mortale eſt homo.

Particularis negans ita conuertitur, vt tam ſubiecto, quàm prædicato præponatur negatio; vt, Aliquis homo non eſt Philoſophus, ergo aliquis non Philoſophus non eſt homo.

De Equipollentia.

Hæc proprietas eſt cùm duæ aut plures enunciationes idem omninò valent, & tantùm per negationes diſtinguuntur.

Primò igitur accipe duas contrarias, Si velis vnam idem valere ac aliam, poſtpone negationem ſubiecto; v. gr. Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt animal, ſunt contrariæ enunciationes. Iam ſi poſtponas negationem, idem valebunt? v. gr. Nullus homo non eſt animal, idem valet ac, Omnis homo eſt animal.

Accipe duas contradictorias, & præpone ſubiecto negationem, idem valebit ac altera; v. gr. quando vna propoſitio vniuerſaliter affirmat, altera particulariter negat, ſunt contradictoriæ (plura ſuprà dixi) vt animal: iam dicas, non aliquis homo eſt animal, idem valet ac, nullus homo eſt animal.

De tertia operatione mentis, quæ propriiſſimè hominis eſt, ſcil. de Diſcurſu ſeu Argumentatione.

HIc tractat præter alia modum argumentandi & reſpondendi: Item de *Ponte aſinorum* (vt vocant) & de modo non communi inueniendi argumenta.

Nomina & ſignificatus tertiæ mentis operationis.

Vocatur Diſcurſus, quia mens noſtra ab aliqua re cognita ad aliam incognitam probandam diſcurrit, vt ex hoc quod noui hominem viuere, diſcurro, & probo hominem habere animam.

Vocatur *Ratiocinatio*, id eſt collectio rationum ſiue propoſitionum. Nam in omni diſcurſu ad minimum eſſe debent duæ propoſitiones, aut tres.

Vocatur *Argumentatio*, quia per argumenta, ſiue cauſas, ſiue rationes arguimus, & declaramus non tantùm mentem, ſed etiam res ipſas.

Vocatur *Conſequentia*, quia infallibiliter ex vnaquaque re aliquid aliud ſequitur ſi bene argumentemur.

Signi-

Significatus & exiſtentia Diſcurſus.

Diſcurſus non ſignificat omnia ſimul intelligere, quomodo intelligunt Angeli, qui quemadmodum nos vno aſpectu plurima vidėmus; ita ipſi vna intellectione omnia intelligunt, ſimili formè modo quo Typographi vno ductu plurima ſcribunt, ſeu imprimunt.

Nec ſignificat Diſcurſus vnum poſt aliud intelligere, ſeu cognoſcere: nam etiam Angeli poſſunt vnum poſt aliud intelligere. Sed Diſcurſus ſignificat vnum per aliud intelligere: v. gr. Ego per definitionem intelligo quid ſit Logica. *Diſcurſus* autem ſignificat ab aliqua re nota ad aliam ignotam procedere probandam Hinc Deus & Angeli, qui omnia norunt, non ratiocinantur. Homines verò qui rerum omnium fermè ſunt ignari, ab aliqua recognita ad aliam cognoſcendā procedunt: attamen quo aliquis doctior eſt, eo minus ratiocinatur. Et ſimilis eſt noſter diſcurſus ſcriptutæ noſtræ, in qua vnam literam poſt aliam ſcribimus.

Quæ eſt materia tertia mentis operationis?

Omnia omnino: nam de omnibus diſcurrere licet.

Quæ forma & præcepta diſcurſus generalia?

Primò ex vero non ſequitur niſi verum.

Ex faſo poteſt ſequi tam verum quàm falſum. Ex neceſſario non ſequitur contingens, aut pſſibile, aut impoſſibile, ſed tantùm ſequitur neceſſarium. Ex impoſſibili poteſt ſequi non tantùm impoſſibile, ſed etiam poſſibile. Ex poſſibili nunquam ſequitur impoſſibile.

Quicquid repugnat antecedenti (id eſt ſubiecto propoſitionis] non ideò repugnat cõſequenti, id eſt, prædicato propoſitionis: ſed quicquid repugnat conſequenti, repugnat antecedenti, v. gr. in hac propoſitione, Homo eſt animal, homo eſt antecedens. animal eſt conſequens. Bona eſt iam conſequentia, *Quicquid non conuenit animali, non conuenit homini* ſed non eſt bona: *Quicquid non conuenit homini non conuenit animali*; quia non conuenit homini eſſe irrationalem, & taman conuenit animali eſſe irrationale. Iam verò quia non cõuenit animali eſſe inanimatum, ideò nec conuenit homini.

Quicquid conuenit antecedenti, conuenit conſequenti; vt Homo eſt animal, & homo eſt rationalis: ergo animal eſt rationale. Quo notato vnuſquiſque ex tempore facere poteſt ſyllogiſmum in tertia & ſecunda figura, hoc modo applicans præcepta.

Pro tertia figura præceptum eſt: *Quicquid conuenit antecedenti, conuenit conſequenti*. Proponatur ergo aliqua propoſitio; v. gr. Homo eſt animal.

ſed Homini conuenit eſſe rationale:
ergo Animali conuenit eſſe rationale.

Pro ſecunda figura hoc eſt præceptum: *Quod non conuenit conſequenti, non conuenit antecedenti*. Sumatur ergo aliqua propoſitio, v. gr.

Homo eſt animal:
Animali non conuenit eſſe animatum:
ergo nec homini.

Aliud præceptum eſt: *Quicquid conuenit omni ſubiecto, conuenit etiam omni quod continetur ſub illo ſubiecto*. Hæc regula generalis conficiendi ſyllogiſmum in prima figura; v. g. proponatur hæc propoſitio.

Homo eſt animal:
ſed ſub homine continetur Petrus:
ergo Petrus eſt animal.

Hæ igitur ſunt regulæ conſequentiarum generales ex Ariſtotele depromptæ.

Quotuplex eſt diſcurſus?

Eſt quadruplex, ſcil. Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum.

Probatur. Si aliquis velit probare per vnum particulare, aliud particulare, eſt Exemplum? vt, Alexander fuit infelix: ergo etiam Iulius Cæſar.

Si aliquis velit probare aliquid per plura, tunc eſt Enthymema; vt, Reges ſunt ma-

gnifici : ergo & Ludouicus : quia non omnes Reges ſunt magnifici,ſed ſaltem plures. Si aliquis velit probare vniuerſaliter aliquid, poteſt probare vel ex enumeratione, id eſt inductione omnium ſingularium , vel ex propoſitione aliqua vniuerſali. Poſteriori modo eſt Syllogiſmus, priori modo eſt Inductio : v.gr.

Omnis homo eſt animal:
Petrus eſt homo:
Ergo eſt animal. eſt ſyllogiſmus.

Sed ſi dicam, Petrus eſt animal Paulus eſt animal, &c. ergo omnis homo eſt animal,eſt iſte modus Inductio.

De Syllogiſmo.

Quæ eſt materia Syllogiſmi?

Eſt duplex . Vna eſt materia *circa quam* occupatur Syllogiſmus,& ſunt res omnes omnino. Alia eſt materia *ex qua* cõſtat ſyllogiſmus. Hæc autem eſt duplex:vna eſt *remota*,alia *propinqua*. Propinqua materia ſyllogiſmi ſunt tres propſitiones, ſcil. *Maior, Minor* , & *Concluſio*. Maior propoſitio eſt in qua eſt maior terminus cum medio. Minor propoſitio eſt in qua eſt minor terminus cum medio. Concluſio eſt in qua eſt maior & minor terminus. Materia remota Syllogiſmi ſunt tres termini,*maior* ſci-

Digitized by Google

licet, *minor, medius.*

In quæſtione aliqua quæ proponitur, inuenitur maior, & minor, & terminus. Maior autem eſt prædicatum quæſtionis, Minor eſt ſubiectum quæſtionis. Medius terminus eſt argumētum per quod aliquid probat maior terminus de minore; v. g. quætitur. Vtrum homo ſit animal? Animal eſt terminus maior, Homo eſt terminus minor. Ego accipiam argumentum:per quod probabo,v.gr.(ſentiens) iam Sentiens eſt medius terminus.

Vbi igitur medi terminus eſt cum maiori termino, vocatur propoſitio maior: vbi verò eſt cum minori termino, vocatur propoſitio minor.v.gr.

Omnis homo eſt animal,
Petrus eſt homo,

Ergo *Petrus eſt animal.*

In quo ſyllogiſmo animal eſt maius extremum, ſiue terminus maior:homo autem eſt terminus minor.

De medio inueniendo ad aliquid probandum, aut improbandum.

Prima ratio eſt medij inueniendi, & vocatur *Pons aſinorum.* Sed res non eſt ita difficilis vt arbitrantur, quia tantùm tribus modis aliquid probare poſſumus, ſiue triplex tantùm

poſſumus habere medium aliquid probandi. Scil. Si proponatur aliqua quæſtio, tunc oportet videre aliquid ex iſtis tribus, ſc. Cõſequentia, Antecedentia, & Repugnantia.

Conſequentia vocantur ea quæ de re aliqua efferri ſeu prædicari poſſunt; v. gr. De re aliqua prædicantur quinque Vniuerſalia, item omnis generis categoriæ, ſiue accidentia; v. gr. de homine animal, rationale, riſibile, quòd ſit quantus, qualis, actionem habeat, aut paſſionem, aut definitionem.

Antecedentia ſunt ea quæ continentur ſub aliqua re: atqui continentur variæ ſpecies & ſingularia: vt ſub Homine, Francus, Italus, &c.

Repugnantia ſunt quæcumque ſunt rei oppoſita; v. gr. Homini oppoſitum eſt Irrationale, Brutum, Immortale, Angelus: v. gr. proponatur vtrum homo ſit animal: Videbis quid dicatur de animali, ſiue conſequentia animalis, & id erit tuum medium, hoc modo:

Omne ſentiens eſt animal,
Homo eſt ſentiens,
Ergo *Homo eſt animal.*

Alio modo probare potes per antecedentia, hoc modo.

Francus & Italus ſunt animalia,
Francus & Italus ſunt homines,
Ergo *Homo eſt animal.*

Alio modo per Repugnantia probabis

hoc modo:

Quod eſt mortuum, & inſenſibile eſt,
non eſt animal,
Sed *Homo non eſt mortuus, ſed viuens,*
Ergo *Homo eſt animal.*

De forma Syllogiſmi.

FORMA conſtat ex duobus, ſcil. ex *figura*, & *modo*.

Monendi ſunt diſcipuli hanc rem eſſe valde intricatam tamen exẽplis appoſitis preſpicuis res clara, Deo volente, fiet.

De figuris Syllogiſmorum.

Figura Syllogiſmi eſt apta collocatio medij termini cum maiore & minore termino, quia in Syllogiſmo non debent eſſe plures quàm tres termini.

Vt autem ſit apta collocatio, debet medium ſemel coniungi cum maiori termino & ſic erit popoſitio maior, & ſemel coniungi debet cum minori termino, & ſic erit popoſitio minor. Poſteà quæſtio propoſita debet eſſe concluſio, v. gr. Proponatur hæc quæſtio concludenda, Vtrum homo ſit miſerrimus. Ego accipiam mediũ, quòd ſit ignorantiſſimus, & coniungam ignorantiſſimum ſemel cum miſerrimo. Eſt autem miſerrimus maior terminus, vt anteà docui, & ſemel coniungam ignorantiſſimum cum homine. Eſt autem homo minor

terminus; poſteà concludam hoc modo:

Ignorantiſsimus eſt miſerrimus,
Homo eſt ignorantiſsimus,
Ergo *Homo eſt miſerrimus.*

Qui hoc nouit, facilè diſtinguet omnes figuras. quod verſibus his etiam comprehenditur, & facillimè dignoſcitur.

Prima prius ſubiicit medium, poſt prædicat ipſum
Secunda bis dicit: tertia bis ſubiicit.

Nam prima eſt quando medium in moiori propoſitione eſt ſubiectum, & in minori propoſitione eſt prædicatum.

vt, *Homo eſt animal,*
Petrus eſt homo,
Petrus eſt animal

Secunda figura eſt, in qua medius terminus eſt prædicatum tam in maiori quàm in minori propoſitione, hoc modo:

Homo eſt animal,
Angelus non eſt animal.
Ergo *Angelus non eſt homo*

Tertia figura, in qua medius terminus eſt ſubiectum tam in maiori quàm in minori propoſitione, hoc modo:

Homo eſt animal,
Homo eſt mortalis
Mortale eſt animal.

De modis Syllogiſmorum.

MODVS eſt apta collocatio propſitionum ſecundum quantitatem & ſecundum qualitatem.

Eſt autem quantitas vel vt propoſitio ſit vniuerſalis, vel ſingularis.

Qualitas eſt, vt propoſitio ſit affirmans, vel negans. Vt autem modos directè concludentes facilè retineamus, inuenerunt Dialectici quatuor vocabula artificialia pro quatuor modis primæ figura ſcil. qui vocantur Directi: *Barbara, Celarent, Darij, Ferio,*

Indirecti autem quinque: *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.*

Quatuor ſimiliter vocabula pro quatuor modis ſecundæ figuræ *Caſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.* Et ſex vocabula pro ſex modis tertiæ figuræ: *Darapti Felapton, Diſamis Datiſi, Boɔardo. Feriſon..*

Hæc vocabula ſic intelligenda ſunt, quoduis conſtat tribus ſyllabis.

Prima. quæuis ſyllaba ſignificat qualis debeat eſſe maior: ſecunda qualis eſſe debeat minor: tertia qualis debeat eſſe concluſio.

In quouis vocabulo & quaque ſyllaba eſt vna exiſtis vocabulis A, E, I, O.

Si ſit A, ſignificat vniuerſalem affirmantem ſi ſit E, vniuerſalem negantem; ſi ſit I, particularem affirmantem; ſi ſit O, particularē ne-

gantem, vt manifeſtè hoc verſu declaratur.
Aſſerit A, *negat* E, *verum particulariter ambæ.*
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter ambo.*
Si ergo A ſit in prima ſyllaba, ſignificat minorem vniuerſalem affirmantem: ſi ſit in ſecunda ſyllaba. ſignificat minorem vniuerſalē negantem: ſi ſit in tertia, concludit vniuerſalem affirmantem: Idem iudicium eſto de ceteris vocalibus. Nam E primæ ſyllabæ eſt vniuerſalis maior negans, ſecundæ ſyllabæ minor vniuerſalis negans; & ſic de aliis. Exempla tantùm quædam afferam,

Bar-ba-ra, { *Omnis homo eſt mortalis,*
Omne rationale eſt homo,
Ergo *Omne rationale eſt mortal.*
Ce-la-rem, { *Nullus homo eſt Deus,*
Omne rationale eſt homo,
Nullum rationale eſt Deus.
Da-ri-i, { *Omnis homo eſt peccator.*
Aliquis philoſophus eſt homo,
Ergo *Aliquis philoſophus eſt peccator.*
Fe-rio, { *Nullus philoſophus eſt ignorans,*
Quidam homo eſt philoſophus,
Quidam homo non eſt ignorans.

Ad hunc modum licet componere exempla in modis tertiæ. & ſecundæ figuræ.

Quid eſt Syllogiſmus?

Syllogiſmus eſt oratio ex qua quibuſdam

poſitis, aliud ex neceſſitate ſequitur, eo quod hæ ſunt.

Dicitur (oratio) id eſt oratio compoſita ex maiori & minori propoſitione.

Dicitur (in qua quibuſdam poſitis) id eſt conceſſa maiore & minore propoſitione: nam *ponere* apud Philoſophos eſt concedere.

Dicitur (aliud ſequitur) id eſt, concluſio quæ aliud eſt quàm maior, aut minor propoſitio.

Dicitur (ex neceſſitate eo quod hæ ſunt) id eſt ratione formæ.

Sed quæres; Eſt-ne neceſſarium inferre concluſionem conceſſa maiore & minore? Reſpond. Non eſt neceſſarium quoad exercitum, id eſt, poteſt inferre vel non inferre tibi enim hoc liberum eſt: ſed neceſſarium, eſt quoad ſpecificationem, id eſt, poſito quod velis concludere, debes talem ſpecie concluſionem inferre, non aliam; v. gr.

Homo eſt mortalis.

Alexander eſt homo.

Liberum eſt vt concludas, vel non: ſed poſito quod concludere velis, neceſſarium eſt vt hanc, non aliam concluſionem inferas. (*Ergo Alexander eſt mortalis.*

Regulæ quædam Syllogiſmorum.

Si tam maior quàm minor propoſitio ſit negatiua, nihil concluditur.

Si tam maior quàm minor ſit particularis,

nihil concluditur.

Si vna propoſitionum ſit negans, etiam concluſio eſt negans.

Si vna ſit particularis, etiam concluſio eſt particularis.

In ſecunda figura nunquam concluditur nugatiuè.

In tertia figura nunquam concluditur vniuerſaliter.

DE EXEMPLO.

EXEMPLVM apud Logicos eſt ſpecies diſcurſus, per quam vnum ſingulare per aliud ſimile probamus; qui modus vſitatiſſimus eſt apud plebeios, apud milites, ver. gr.

Conſtantinus vnus author eſt, alius qui perdidit imperium Conſtantinopolitanum. Quid mirum ſi Auguſtus eſt autor, & Auguſtulus imperium perdidit.

Difficile eſt vera in promptu ſemper habere exempla: ideò ad ficta, vel fingenda, id eſt ad fabulas confugiendum eſt, vt docet Ariſtoteles in Rhetoricis.

Nemo, quod ſciam, rationem fabularum fingendarum tradidit, ne ipſe quidem Aphthonius.

Verbo dicam quotieſcumque de aliqua re, præſertim in abſtracto loquendum eſt, vt de pulchritudine, de fortitudine, &c. debet aliqua res in concreto afferri, ſiue ſit homo, ſi-

ue planta, quæ ſit, ver.gr. fortis, aut pulchra, ver.gr. pro fortitudine quercus, aut leo, pro pulchritudine, pauo, aut manucodiata. & debent omnia iſtis aſſcribi, omnes Homeri, Æſopi, &c. fabulæ: imò & Gallorum Romani huic præcepto innituntur.

De INDVCTIONE & ABDVCTIONE.

INDVCTIO eſt argumentatio ab omnibus ſingularibus, ſiue ab omnibus contentis ad vniuerſale concludendum, v. g. equus, mulus, aſinus, homo, quia non habent bilem, ſunt longæua: ergo omnia quæ bile carent, ſunt longæua. Et hoc eſt exemplum Ariſtotelis.

INDVCTIONE potiſſimum vtitur in probationibus alicuius propoſitionis vniuerſalis, & eſt promptiſſimum medium; vt ſi quis neget omnem hominem eſſe riſibilem, inductione probandum eſt; v. gr. Petrus, Paulus, Socrates, &c. ſunt riſibiles, ergo omnis homo eſt riſibilis.

ABDVCTIO eſt cùm vna propoſitio proponitur quæ minùs nota eſt, quàm concluſio, aut ſaltem non eſt magis nota; v. gr.

(*Omnis ſcientia poteſt doceri,*
(*Sed Iuſtitia eſt ſcientia,*
Ergo *Iuſtitia poteſt doceri.*

Minor propoſitio æquè ignota eſt ac ipſa concluſio.

De ENTHYMEMATE.

Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus, & ordinariè conſtat ex propoſitionibus non abſolutè neceſſariis, ſed quæ ſunt veræ ordinariè, ſiue vt plurimùm, ideòque ordinariè vna propoſitio deeſt; v. gr. *Philoſophi ſunt prudentes.*

Ergo *& Ariſtoteles.*

Quamuis parum interſit quam propoſitionem reticeas, ſiue maiorem, ſiue minorẽ. Hinc Enthymemata phyſiognomica maximè ſunt in vſu, qualia ſunt, v. gr. *Magnanimi & fortes habent extremitates magnas & latas, Ergo Leo & fortis, & magnanimus eſt. Qui frontem habent quadratam, tardi ſunt* Ergo *& Campanella tardus eſt.*

Enthymemati opponitur INSTANTIA, quando nimirum damus exceptionem, vel quando omninò negamus propoſitionem.

De DILEMMATE & SORITE.

Non ſunt diuerſæ ſpecies à Syllogiſmo: ſed tantùm ſunt plures Syllogiſmi, quia Dilemma, & Sorites ex pluribus ſyllogiſmis implicitè conſtant.

SORITES eſt ſyllogiſmus connexus hoc modo:

(Homo eſt ſpecies,
(Species eſt vniuerſale,
(Vniuerſale prædicatur de multis,
Quod de multis prædicatur eſt abſtrectum
Ergo *homo eſt abſtractus.*

Tali argumentatione vtuntur illi qui multa paucis volunt dicere, & probare.

DILEMMA eſt ſyllogiſmus ex propoſitione diſiunctiua, cuius quamcumque partem elegeris, in concluſionem fermè ineuitabilem incides; v. gr. Vel Deo placere cupis, vel hominibus: ſed vtroque modo ſequitùs te eſſe debere aduocatum; nam ſi vera dixeris, placebis Deo; ſi falſa, hominibus.
Aliter vocatur Syllogiſmus CORNVTVS: ſiue CERANSTES, ſiue CROCODITES apud Politianum ob hanc cauſam. Crocodilus nunquàm prædam dimitit ergo cùm prope Nilum matri quellum cepiſſet, ei flenti dixit: Si vera dixeris, ô mulier, reddam tibi filium. Mulier reſpondit, Nunquàm ô crocodile, reſtitues: ergo reſtitues mihi.

Quot ſpecies Syllogiſmorum, ſiue oratonum Philoſophicarum?

Sunt ſex ſpecies. Prima eſt Syllogiſmus Demonſtratiuus ſeu Apodictius. 2. eſt pſeudographus, 3. eſt Dialecticus ſeu Probabilis, 4. eſt Elenchus Sophiſticus, 5. eſt Syllogiſmus

Pyraſticus ſiue Tentatiuus, 6. eſt Syllogiſmus Eriſticus ſiue Litigioſus.

De Syllogiſmo Demonſtratiuo, ſiue DEMONSTRATIONE,

DEMONSTRATIO eſt Syllogiſmus ſcientificus conſtans ex veris primis, immediatis, prioribus, notioribus, & cauſis concluſionis.

Dicitur (ſcientificus) quia finis demonſtrationis eſt ſcientia, quæ, vt dixi, eſt cognitio certa & euidens rerum neceſſariarum per cauſas. Nihil autem quod exiſtit neceſſarium eſt, excepto Deo: & quicquid fieri poteſt, aut fieri potuit, non eſt neceſſarium, ſed tamen eſſetiæ & proprietates rerum ſunt neceſſariæ. Dicitur (canſtans ex veris) quia licèt ex falſis poſſimus probare verum, non tamen erit demonſtratio, quæ ex materia neceſſaria concludit.

Dicitur (ex primis) id eſt ex principiis, ſiue Axiomatibus, quæ ideò Prima vocantur, quòd nihil habeant per quod tamquam prius probari poſſint: & quæ AXIOMATA nemo negabit vnquam qui ratione valet. Dicitur (ex prioribus & notioribus) Nota, Duplex eſt prius & notius: Vnum eſt notius naturâ, alterum eſt notius nobis. Regulâ hanc generalem

diſcas: OMNIA ILLA SVNT NOTIORA NOBIS, QVÆ SVNT POSTERIORA IN RERVM NATVRA; v. gr. quia poſterior eſt mundus ipſo DEO; ideò mundus eſt nobis notior: Et quia calor eſt effectus ignis, ideò calor eſt notior nobis quàm ignis. Sed notius naturâ eſt, quod prius eſt. Sic Deus eſt notior naturâ quàm hic mũdus.

Dicitur (ex immediatis) id eſt, quæ non poſſunt aliquo modo probari, ſiue inter quæ & concluſionem nullum eſt medium.

Dicitur (ex cauſis concluſionis.) Duplex eſt cauſa, vna vocatur cauſa *eſſendi*, ſiue cauſa rei per quam res eſt; alia eſt cauſa *cognitionis*, per quam res cognoſcitur. Ea quæ ſunt omnium prima, non habent cauſam rei, nec cauſam cognitionis, ver. gr. Deus eſt prima res omnium, ideò Deus non habet cauſam rei; habet tamen cauſam cognitionis, id eſt effectus per quos cognoſcatur. Principia autem prima & AXIOMATA nullas habent cauſas cognitionis, quia ipſa ſunt omnium notiſſima.

Hinc ſi aliqua fiat demonſtratio ex effectibus, vocatur Demonſtratio *quia*; v. gr. cùm Deum cognoſco ex creaturis tanquam ex effectibus. Si autem effectum cognoſcas per cauſam, vocatur Demonſtratio *propter quid*; vt, cognoſco hominem ridere, quia eſt rationalis.

Iam verò Axiomata illa, & cauſæ concluſionis ordinarie ſunt Definitiones rerum.

De Syllgiſmo Dialectico.

Syllogiſmus Dialecticus, qui ex propoſitionibus dialecticis problema dialecticũ probat probabiliter. Ergo explicandum eſt quid ſit probabiliter diſputare, quid propoſitio Dialectica, quid Problema Dialecticum.

Probabile eſt, non quod ita eſt, nec quòd ita revera ſit, ſed quod ita videtur, ſiue re verâ ita ſit, ſiue non ſit. Quod autem ita videtur vel videtur omnibus omninò; vt, liberos eſſe educandos, & hoc eſt iuris naturalis: vel videtur plurimis; vt, legatos non eſſe offendendos, & hoc eſt iuris gentium: vel quod videtur pa[r]ientibus, & hoc eſt ius ſcientiarum, v. g. Syllogiſmum eſſe inſtrumentum veritatis, videtur ſapientibus Logicis: vel quod videtur vni ſapientiſſimo, & hoc eſt Priuilegium; v. gr. Ariſtoteli videtur mundum eſſe ab æterno hoc eſt probabile, quia Ariſtoteli videtur: ergo probabiliter, ſiue ex propoſitionibus probabilibus diſputare, eſt diſputare ex iis quæ vel omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus, vel ſapentiſſimo videntur.

PROBLEMA DIALECTICVM; eſt quæſtio de qua dubitare poteſt aliquis, qui nec ra-

tione,nec ſenſu caret. Hinc ſi aliquis vellet diſputare vtrùm Deus eſſet honorãdus,aut vtrum parentes eſſent colendi,non eſſet quæſtio dialectica, quia nemo ſanæ mentis de hoc diſputare poteſt. Pariter ſi aliquis diſputaret vtrum nix eſſet frigida, non eſſet problema dialecticum; quia nemo qui ſenſum habet, de hoc diſputare poteſt.

Nec oportet diſputare de rebus clariſſimis, nec de rebus obſcuriſſimis.

Quæ ſunt inſtrumenta diſputandi probabiliter?

Ariſtoteles in Topicis recenſet quatuor,ſcil. 1. Æquiuoca ſcil. vt à Nominibus, Significationibus, & Coniugatis, & Etymologia probemus aut improbemus. 2. per propoſitiones authorum varias, ſiue ex opinionibus aliorum aliquid probemus,aut improbemus. 3. Vt per ſimilitudines rerum maximè diſſimilium diſcurramus.

4. Vt per diſſimilitudines rerum maximè ſimlium aliquid afferamus.

Oportet autem notare hoc præceptum non tantùm pertinere ad diſcurrendum, ſed etiam ad memoriam artificialem, quâ aliquis (dummodo poſſit expeditè loqui) poteſt repetere admirabili methodo orationem quam fecerit abſque omni memoriæ lapſus. Et quia eſt Memoria duplex; Artificialis vna ſenſitiua, al-

tera intellectualis: & memoriæ intellectuali dare præcepta pertinet ad Dialecticum, ideò vnum aut alterum præceptum afferam. Probatur pertinere ad Logicum. Logici eſt dirigere operationes intellectus: ſed Memoria intellectualis, ſiue per mentem recordari, non tantùm per ſenſum, eſt operatio mentis: Ergo dare præcepta pro Memoria intellectuali pertinet ad Logicum.

Fateor neminem mortalium qui Logicam ſcribunt, aut docent, hoc facere; id tamen ex Ariſtotele habeo in lib. Topic. Logico eſſe faciendum.

Primò itaque habe tibi verſum, aut orationem; aliquam notiſſimam. Iam materiam de qua loquuturus es applica tali verſui, aut orationi, ita vt aliquam ſimilitudinem vel diſſimilitudinem inter rem talem & inter quæuis vocabula reperias. Quod facilè erit illi qui aliquoties exercuerit; v. gr. ſit iſte verſus,

Arma, virúmque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, &c.

Sit tibi ex tempore diſcurrendum, vel etiam meditatò, verbi gr. hoc modo de Philoſophia facies.

Certum eſt vnam Philoſophiam arma adminiſtrare ad ignorantiam, & vitium debellandum. Illi igitur verè ſunt viri qui non vincun-

tur à paſſionibus & vitiis animi.Et, Nulli magis merenturvt à Poëtis canantur& celebrentur, quàm Philoſophi, quorum eſt rempublicam gubernare. Et, Certè Homerus in Troiano bello maximè celebrat Vlyſſem & Neſtorem,qui primi fuerunt tum in conſiliis dandis,tum excellenti ſapientię vſu.Omnes quotquot ab oris exteris ad nos veniunt, multò magis noſtram ſapientiam quàm arma admirarentur.

Hîc ergo vides quomodo quæuis periodus cuiuis vocabulo reſpondeat, nec obliuiſci poſſit niſi vocabula ipſa de memoria excidant.

2. Præceptum eſto. Cùm res magni momenti, & varietate multâ frequens tibi retinenda eſt,habe alphabetum hominum tibi cognitorum; v. gr. Alexander, Bernardus, &c. Iam ſi è memoria aliquid non debeat elabi, rem de qua loquuturus es applica,& committe per aliquam ſimilitudinem & diſſimilitudinem, vt manifeſte viuâ voce explicabo.

3. Præcepto vteris quo hactenus vtor.

Quotidie ſummum vel plurimum quinque vel ſex vocabula diſcas; v. gr. manè tria, veſpere tria. Sequēti die antequam ſex alia diſcas, præcedentia ſex repetes. Tertio die antequam ſex alia diſcas, duodecim præcedentia repetas,& ſic nunquam noua diſcas niſi præcedentia repetieris. Et certum eſt nullam linguam

vel difficillimam poſſe ſpatio nouem vel decem menſium diſci poſſe. Eſt hæc eſt cauſa cur Deo iuuante, potuerim cum ſcientiis linguas coniungere.

CAPVT VLTIMVM.

De quarta mentis operatione,
SIVE
DE METHODO.

Nomina, ſignificatus & exiſtentia.

VOcatur METHODVS, id eſt, Doctrina cum via & ratione. Vocatur Ordo partium tractandarum.

Significat Methodus generaliter omnem bene noſcendi rationem, quomodo & prima, & ſecunda, & tertia mentis operatio vocantur Methodi: ſed particulariter & propriè Methodus eſt ratio vniuerſam aliquam materiam tractandi, meliùſque & citiùs pecipiendi. Diſtinctio tamen eſt inter Methodum & Ordinem. Nam Ordo eſt partium tractandarum, v. gr. cùm in ſcientiis tractantur principia, cauſæ, effectus, ſpecies, &c.

Ordo in hoc conſiſtit, vt partes quæ 1. loco tractandæ ſunt, tractemus, &c.

Methodus verò eſt doctrina peculiaris, per quam ſingulas partes tractare poſſumus, ſcil. vel Methodo Definitiuam, vel Methodo Reſolutoriã, de quibus in ſequentibus. Quod autem Methodus ſit diſtincta mentis operatio, ſic probatur. Quæcunque operatio mentis efficit vt aliquid meliùs, citiùs, & perfectiùs cognoſcamus, illa eſt diſtincta operatio à reliquis: ſed Methodus hod facit. Quòd ita probo. Si quis partes alicuius materiæ ſine ordine & methodo tractet, aut noſcat is dicitur eſſe cõfuſus, obſcurus, intricatus, &c. Contrà verò ſi cũ methodo, ſiue cũ methodo, ratione, & ordine tractet rem clarè, & perſpicuè, perfectè ſcire dicitur: ergo methodus eſt operatio mentis, quæ facit vt aliquid diſtinctè noſcamus: ergo eſt diſtincta operatio. Obiic. Quarta mentis operatio nihil aliud eſt quàm coniunctio, ſeu connexio aliarum mentis operationum: ergo non eſt diſtincta mentis operatio. Reſp. hoc argumentum nullum eſſe. nam ſine dubio tertia mentis operatio nihil eſt aliud quàm coniunctio operationis ſecundæ; quia ſyllogiſmus nihil eſt aliud quã certa operatio, per quam tres enunciationes (quarum quęuis eſt ſecunda mentis operatio) coniunguntur. Pariter ſecunda mentis operatio nihil aliud eſt quàm coniunctio primarum mentis operationum. Etenim cùm dico,

Homo eſt animal, eſt ſecunda mentis operatio, quæ nihil aliud eſt quàm coniunctio hominis cum animali: homo autem eſt prima operatio. Item animal, ſiue conceptus de animali, eſt prima mentis operatio.

Quid, & quotuplex eſt Methodus.

Methodus propriè eſt via, ſeu ratio, ſeu recta doctrina, & modus partes alicuius materiæ cognoſcendi. ORDO autem propriè eſt connexio partium tractandarum recta, & cum arte.

Triplex eſt Methodus. 1. eſt per quam tractatur aliquis terminus ſimplex, ſiue ſimplex aliqua materia; vt ſi alicui proponatur vt methodicè de Deo, ſiue Virtute, ſiue de aliquo ſimplici themate diſcurrat. 2. Methodus eſt operoſior, per quam tractatur de themate compoſito, ſiue de aliqua quæſtione; v. gr. ſi quæratur vtrum virtus ſit præferenda diuitiis. 3. Methodus per quam integra aliqua ſcientia aut ars, aut oratio, aut tractatus inſtituitur, & explicatur. De quibus ſingulis dicam,

De Methodo tractandi ſimplicem terminum.

Hæc Methodus eſt certa dicendi & docendi ratio potiſſimùm conſtans ex definitione, diuiſione, atque argumentatione. Hæc autem

Methodus vel ſecundùm Ariſtotelem tantùm hæc quinque proponit; vel etiam, vt diſtinctiùs aliqui docent, hæc decem. Secùndùm Ariſtotelem quidem. 1. Tractanda nomina & ſignificatus. 2. An res ſit. 3. Quid ſit. 4. Qualis ſit. 5. Quare ſit. Quam Methodum nos vbique ſequuti ſumus in hoc Compendio, & in poſterum ſequemur.

Alij hæc decem recenſent, quæ tamen ſub prioribus quinque continentur. Primum eſt quid vocabulum ſignificet. 2. An res ſit. 3. quid res ſit. 4. Quæ ſint rei partes. 5. Quæ ſint ſpecies. 6. Quæ ſint cauſæ. 7. Qui effectus. 8. Quæ accidentia. 9. Quæ cognata. 10. Quæ ſint pugnantia.

Monitum.

Quia Methodus ſuperior conſtat ex Definitione & Diuiſione, ideò de vtraque dicendum eſt.

De DEFINITIONE.

DEFINITIO eſt nominis vel rei explicatio: ideóque duplex eſt: vna definitio Nominis, altera definitio Rei.

Nominis definitio eſt qualiſcunque vera nominis, aut verbi, aut phraſis interpretatio, quam hodie communiter vocant Gloſſam.

Multis autem modis definitio nominis fieri poteſt. Primo, per aliam linguam; v.gr. ἀρετὴ idem eſt ac *Virtus*,

2. per Differentiam; vt, Rex qui differt à Tyranno. ille enim bono publico ſtudet. 3. per metaphoram, aut per alios tropos, v. gr. vita noſtra nihil aliud eſt quàm puluis & vmbra. 4. per contrarium: vt, Virtus eſt vitium fugere. 5. per aliquod epithetum, ſiue per circunloquutionem: vt, Cicero eſt diſertiſſimus oratorum. 6. Craſſo modo, ſc. per exẽplum: vt, animal eſt vt homo. 7 per etymologiam: vt, Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ.

Definitio rei eſt quæ naturam rei explicat.

Duplex eſt definitio rei: vna eſt Deſcriptio, altera propriè Definitio.

Descriptio eſt quæ fit ex genere & proprietatibus, vel accidentibus, vel ex effectibus & officiis: Siue quando Abſtracta per Concreta definiuntur? qui modus definiendi frequentiſſimus eſt: v. gr. Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens: Quantitas eſt ens quæ facit quantum: Qualitas eſt à qua denominamur quales, Et vno verbo, nemo eſt tam ignarus qui non poſſit per aliquem effectum, aut per aliquod accidens, aut officium aliquid deſcribere.

Definitio propriè dicta vel eſt Eſſentialis, vel Cauſalis.

Eſſentialis conſtat ex Genere, & Differentia; vt, homo eſt animal rationale. Nemo

eſt qui non poſſit afferre genera, id eſt in quonam prædicamento aliquid ſit, vt dominus eſt Qualitas pater eſt Relatum, linea eſt Quantitas.

Cavsalis Definitio eſt cùm aliquid definimus ex vna vel ex pluribus cauſis: v. gr. ex materia, domus eſt quæ conſtat ex lignis, & lapidibus. Ex forma: domus eſt figura quadrata, &c. Ex fine: Domus eſt facta ad inhabitandum. Ex cauſa efficiente: Domus facta eſt ab architecto.

Regulæ definitionis ſunt: Definitio nec latior, nec anguſtior eſſe debet ipſo definito. Item: Definitio verba debent eſſe propria, & perſpicua.

De Divisione.

Divisio eſt 1. vocabuli magis communis in minus communia diſtinctio: vt ſi diſtinguam initio, multa ſignificat gallus.

2. & propriè Diuiſio eſt vel generis in ſpecies, vel totius in partes: v. gr. cùm dico animalium aliud eſt homo, aliud brutum, eſt diuiſio generis in ſpecies. Cùm autem diuido hominem in animam & corpus, eſt diuiſio totius in partes.

Poſſumus autem diuidere aliquid ſecundùm omnes categorias, vt ex Subſtantia, Hominum alius eſt Socrates, alius eſt Plato

Ex Quantitate: Hominum alius eſt magnus, alius paruus. Ex Qualitate, Hominum alius eſt auarus,alius liberalis.Et ſic de cæteris Prędicamentis.

Regulæ ſunt. Quicunque diuidit, diuidere debet in membra inter ſe pugnantia. Debent membra eſſe ipſi diuiſo æqualia.

De methodo qua tractatur quæſtio.

Hæc res magni momenti eſt, vt cognoſcas an præceptor aliquis, aut liber recto ordine & methodo quęſtionem aliquam doceat.

Hoc ergo modo tractanda eſt quęſtio.

1. Proponenda eſt quæſtio, & ſenſus quæſtionis explicandus. 2. Afferendę ſunt Authorum ſententiæ cum rationibus. 3. Afferenda ſunt fundamenta quęſtionis, & tuæ concluſionis. Fundamenta autem hęc ſunt, Recta expoſitio, & varia diſtinctio terminorum quæſtionis. 4. Afferenda eſt tua ſententia,quam probabis tum authoritate, tum rationibus quæ pendeant, & deſumantur ex fũdamentis tuis. 5. Refutandæ ſunt aliorum ſententiæ. 6. Si quid contra obiici poſſit, afferendum eſt, & ſoluendum.

7 Notandum eſt quæ ſententia aut plùs, aut minùs errarit.

De methodo per quam tractatur aliqua Scientia, aut Ars, aut Sermo.

Triplex eſt Methodus, ſcil. Analytica ſiue Reſolutoria: alia eſt Compoſitiua ſiue generationis: tertia eſt Definitiua, ſiue Hiſtorica.

Resolvtoria à fine per media ad principia procedit. Hoc modo docentur Artes, & Philoſophia practica. Nam Ariſtoteles cùm Moralem docet Philoſophiam, incipit à felicitate humana, quæ eſt finis Philoſophiæ Moralis: Deinde pergit ad media quibus acquirimus fœlicitatem, & tandem ad principia humanarum actionum procedit. Hinc etiam eſt quod Ariſtoteles Logicam ſuam docet Analyticâ, id eſt, Reſolutoriâ, quia nimirum ſcientiam reſoluit in Demonſtrationem, & Demonſtrationem in Syllogiſmum, Syllogiſmum verò in propoſitiones, has in terminos, ſiue in prima principia.

Compositionis eſt qua docentur omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ, cùm nimirum à principiis & cauſis procedimus ad compoſita, ad effectus, proprietates, & ſpecies. Hoc modo Ariſtoteles docet Phyſicam, incipiendo à principiis rerum naturalium.

Definitiva verò Methodus cùm definitione artis adhibita per enumerationem partium ſingulas partes ordine tractamus: Hoc modo docetur Grammatica, ars legendi, ſcribendíque literas, conſtructionis, etymologiæ, analogiæ, proſodiæ iam ordine

tractantur ſingulæ partes, aut ſaltem tractari debent.

Simili methodo vtuntur Poëtę Homerus & Virgilius,&c.Hic incipiens non à fine, aut morte Æneæ, nec à principiis Troiani belli, ſed à naufragio ad littora Africæ: Homerus verò à peſte quam Apollo ſuſcitauit,non autem à principio, aut fine Troiani belli.

Methodus Scholaſtica diſputandi & reſpondendi.

Duplex eſt Methodus, vel oratione perpetuâ ſeu continuâ,de qua hactenus diximus: vel oratione Dialogiſticâ de qua iam loquimur; præſertim verò vt hodie diſſerere ſeu diſputare ſolemus.Etenim alia methodus fuit tempore Ariſtotelis & Platonis,ſcilic.per interrogationes, eo fermè modo quo hodie iudices ſolent examinare.

Hodie igitur ita fiunt diſputationes.

1. Qui vult reſpondere, ne aliquid abſurdi,aut contra fidem, aut bonos mores ſuſtineat.

2. Si aliquis aliquid ſuſtinere velit, debet priùs cognoſcere rationem ſuæ propoſitionis. Item debet cognoſcere ſaltem vnam aut alteram obiectionem, ſiue rationem contrariæ ſententiæ, atque adeò cognoſcere ſolutionem.

3. Debet argumentum bis iiſdem verbis

Digitized by Google

referre,quibus vtitur argumentans: & cùm iam ſecundò repetit, debet videre ſi argumentum eſt in forma, vel non. Si non ſit in forma,& tamen propoſitiones veræ videantur, debet concedere maiorem & minorem, & negare conſequentiam. Si verò nec ſit in forma, nec propoſitiones verę eſſe videantur, debet dicere, nego totum. Si autem argumentum ſit in forma, debet ad ſingulas propoſitiones reſpondere: Concedo, ſi ſint veræ: ſi verò ſint falſæ, Nego: Si verò ſint ambiguę,debet dicere,Diſtinguo: Hoc ſenſu nego,alio autem concedo. Ordinariè autem videre debet an propoſitiones maiores ſint veræ, ideóque ſi vel minimam exceptionem habes,potes negare. Si autem propoſitiones non magni momenti eſſe videantur, debet dicere, Tranſeat, Eſto, Quid inde? Si verò aliquid aliud concludat quàm de quo quæritur, dicere oportet, Non probas intentum, aut, negatum: Vel etiam, Hoc non eſt ad rem, quia non negaui.

Is verò qui argumetantur,primò non debet argumentari contra bonos mores, aut contra aliquid vnde ridiculus videri poſſit: Sed ordiſtariè debet eligere quęſtionem pulchram & controuerſiam, & vnde auditores aliquid diſcere poſſint. Secundò, ſemper id contra quod diſputat debet eſſe concluſio.

Tertiò, ſemper debet habere paratam rationem alicuius maioris, quæ ſi negetur, probari debet inductione. Quartò, debet ſemper ante oculos habere media, quibus per Pontem aſinorum aliquid probari poteſt; hoc enim modo fiet vt nunquam obmuteſcat. Quintò, ſemper contra diſtinctionem argumentabitur. Sextò, ſemper debet afferre aut axioma, aut definitionem, aut aliquid aliud cui innitatur.

Hæc de vniuerſo Logicæ Compendio fuſiſſimè.

COMPENDIVM PHILOSOPHIAE MORALIS.

PROLEGOMENA.

NOMINA, & SIGNIFICATVS.

PRIMÒ vocatur PHILOSOPHIA MORALIS, quòd tractet de Virtutibus, & iis quæ imperio voluntatis ſubiacēt. 2. vocatur POLITICA, & differt à Morali ſecùndùm magis & minùs: Moralis enim agit abſolutè de felicitate hominis: Politica verò tractat de bono ciuitatis. 3. Inſcribitur de finibus bonorum & malorum, quia de felicitate & miſeria hîc docetur.

Exiſtentia.

Datur aliqua Moralis. Probatur. Datur habitus quo regere poſſumus actiones mentis, nempe Logicæ: ſic datur alius regens voluntatem, nempe Ethica, ſeu Moralis.

Cauſæ Philoſophiæ Moralis.

Materialis, ſunt actiones humanæ: Formale verò obiectum quatenus dirigibiles ſecundùm rectam rationem.

Nota actiones humanas non eſſe omnes quæ ab homine fiunt: v. gr. nutriri: hæc enim & tales ſunt actiones hominis. Actiones verò humanæ ſunt voluntariæ, ſiue quæ rationis imperio ſubſunt, & ſunt triplices: *Elicitæ, Imperatæ,* & *Mediæ*. Elicitæ ſunt quæ immediatè à voluntate fiunt; vt, nolle, velle, & non velle: Voluntas enim aliquando nec vult, necnon vult, ſed dubia eſt: Imperatæ ſunt aliarum facultatum, quatenus à voluntate imperantur; vt, intelligere, ſcribere, &c. Actiones verò mediæ ſunt cùm voluntas ſibiipſi imperat: vt, amare, odiſſe. Formale verò obiectum ſunt hæ actiones quatenus ad rectam rationem dirigibiles & practicæ, & quatenus ſunt opera interna.

Finis eſt Fœlicitas humana practica.

Efficiens eſt intellectus practicus, quatenus honeſtas actiones docet, & præcepta tradit.

Moralis formaliter non eſt ars; Ars enim ad vlteriorem finem tendit: nec eſt ſcientia: Ariſtot. enim 6. Moral. ait de rebus agibilibus non eſſe ſcientiam. Eſt igitur Prudentia. Sed

Nota duplicem eſſe Prudentiam. Vna eſt Docens, ſeu Moralis: altera Exequens, ſiue virtus quæ circa particularia verſatur.

Obiic. Præſtantiſſimos Philoſophos Morales fuiſſe imprudentiſſimos: ergo Moralis non eſt prudentia. Reſp. eos non habere Exequentem Prudentiam, quæ difficillima eſt. In aliis artibus requiritur tantùm applicatio, nec requiritur qua voluntate id facias, dummodò ſecundùm regulam factum fuerit Sed Moralis rectam voluntatem requirit.

De definitione & qualitate.

Moralis eſt Prudentia quæ verſatur circa bona & mala, prout ad Fœlicitatem aut miſeriam tendunt.

Philoſophia Moralis tractat primò de Fœlicitate, quæ eſt Bonum, & Finis: tractat etiam de Voluptate, cùm ſit fœlicitati coniuncta.

2. tractat de duplici Virtute, Intellectuali, Morali & Heroïca.

3. de principiis virtutum, ſc. de materia virtutum, quæ vel eſt in anima, vel in corpore: vel externa. Item facultates ipſas & principia

per quæ ſponte, voluntariè, & rectè agere poſſumus. Ariſtoteles ait ſeruos nullam habere rationem, pueros imperfectam, mulieres perfectam, ſed debilem: homines verò perfectam & firmam.

PARS PRIMA.

DE FOELICITATE.

Nomina, & ſignificatus.

FOELICITAS, Beatitudo, Græcis eſt μακαρισμός id eſt, valdè gaudere; quia gaudium & voluptas eſt indiuidua comes fœlicitatis: & is fœliciſſimus eſt qui ſapientiſſimus eſt, & omnia nouit.

Fœlicitas etiam dicitur bene viuere, id eſt, bene agere ſecundùm virtutem. Fœlicitas aliquando cum adiuncto ſumitur, vt fœlix miles, medicus, &c. Sed hîc non loquitur de fœlicitate hominis vt medicus, aut miles eſt, ſed de homine vt homo eſt.

Vocatur etiam Fœlicitas *Summum bonum, Vltimus finis, ſuprema perfectio*, id eſt, optimus finis.

De exiſtentia.

Quicquid factum eſt, propter aliquem finẽ factum eſt: Finis autem vel eſt vltimus, vel

non vltimus. Et ſi non eſſet finis vltimus, nulla eſſet actio hominis; quia finis eſt primùm in intentione, & antequam agamus, & talis finis eſt bonum; quia natura perfectiorem habet finem quàm res ipſa. Nec mors eſt vltimus finis hominis, ſed vltimum hominis, ſiue terminus: quia homo non eſt factus propter mortem, & dicitur mors vltima linea rerum.

Cauſa efficiens Fœlicitatis.

Primò eſt Devs. Nam ſi Deus aliqua hominibus bona conceſſit, certè æquum eſt præſtantiſſima à Deo proficiſci. 2. Fœlicitas pendet ab intellectu & voluntate; & qui intellectu & voluntate carent, non ſunt fœlices, vt ſtulti, & qui dormiunt. Nec Fortuna eſt fœlicitas, cùm ſit inconſtans, & mobilis, & cæca, quæ dignis & indignis æqualia bona largitur, & ſæpiſſimè maiora indignis: ergo turpiſſimum eſſet rem præſtantem Fortunæ aſſcribere.

Finis, materia, & forma.

Quum Fœlicitas ſit vltimus finis, nullum habet finem.

Obiic. Contemplatio Dei, quæ eſt vltimus finis, refertur ad Deum: ergo ad alium finem. Reſpondeo non eſſe abſurdum fœlicitatem formalem ad obiectiuam referri, quia forma-

lis format & perficit hominem.

Forma eſt definitio.

Materia duplex. In qua eſt intellectus, aut voluntas, aut vtraque. Fœlicitas enim eſt in intellectu radicaliter, in voluntate verò participatiuè: & quamuis voluntas ſit libera, non tamen eſt fœlix niſi agat cum recta ratione, & quatenus habet participatam rationem, vt inquit Murctus. Et ſicut ſol ex ſe lucidus eſt, aër verò per participationem: ita intellectus per ſe rationem habet, voluntas verò per participationem.

Materia circa quam, eſt Deus: ergo vel contemplatio Dei, vel amor Dei eſt præſtantiſſimum.

Quid eſt Fœlicitas?

FELICITAS eſt perfectiſſima actio perfectiſſimæ virtutis in perfecto (ait Ariſtoteles): Vel, Fœlicitas eſt bene viuere: *bien heureuſe & longue vie.*

Dicitur in definitione (actio perfectiſſima perfectiſſimæ virtutis) quia ſi non eſſet actio perfectiſſimæ virtutis, non eſſet ſummum bonum.

Virtus illa eſt quæ præſtantiſſimum habet obiectum, & præſtantiſſimo modo circa illud verſatur: omnis enim virtus & habitus excellentiam habet ab obiecto, & à modo tendendi in illud. Talis Virtus duplex eſt, *Sapientia*, &

Prudentia, Prima eſt quatenus verſatur circa Deum contemplandum per altiſſimas cauſas, & hæc fœlicitas eſt Contemplatiua philoſophicè & Chriſtianè poſt hanc vitam. Actio verò præſtantiſſima prudentiæ eſt Fœlicitas practica; aliæ enim virtutes abſque illa non ſunt virtutes. Deum enim præ omnibus colendum eſſe dictat, ideóque amor & charitas Dei ſummum eſt bonum practicum. Dictat etiam publicum bonum priuato eſſe præferendum: & ſicut ſi pes tenderet in detrimentum totius corporis, malus eſſet: ita bonum priuatum malum eſſet ſi in detrimentum publici verteret. Dicitur (in perfecto) quod tribus modis intelligitur: 1. in homine perfecto: ſic amentes & dormientes non poſſunt eſſe fœlices, nec virtutem habere, cùm ratione careant. 2. in perfecto tempore: vna enim virtus non facit hominem beatum, ſicut vna hirundo non facit ver. 3. In perfecto, id eſt bona non fortunæ habentur; nec enim deformis, infirmus, effœminatus, aut pauper poteſt eſſe fœlix: nam his conſiſtunt bona fortunæ.

Præterea is dicitur communiter beatus, aut fœlix, qui hæc quatuor habet; 1. diuitias. Sed falſum eſt, quia alicò referuntur, nempe ad vſum, ideóque non ſunt vltimus finis. 2. honorem, vt nobiles: ſed nullo modo; quia honor

non eſt in honorato, ſed honorāte. 3. Voluptates, vt Reges, mulieres, ſerui, milites, &c. Sed errant; quia ſicut oculus non eſt factus ad voluptatem, ſed ad videndum: ita nec homo ad voluptatem, ſed ad actionem: Certum tamen eſt virtutis actionem ſumma cum voluptate exerceri, quæ conſiſtit in viuendo ſecundùm rectam rationem & virtutem.

Quid eſt fœlicitas obiectiua?

Eſt ſummum bonum, circa quod verſatur fœlicitas formalis, ſiue vltimus finis obiectiuus, ad quem refertur fœlicitas formalis: Deus enim eſt ille finis in quo eſt omne bonum, non tantùm formaliter, ſed & idealiter, imò tanquam in archetypo.

Vtraque Fœlicitas, Contemplatiua ſcil. & Practica. Formalis & obiectiua definitur per ſummum bonum & vltimum finem: ergo hîc de Bono & Fine agendum.

BONVM eſt ſui communicatiuum, ſeu diffuſiuum: ſeu, Quod omnia appetunt.

Secunda deſcriptio ſic explicatur. 1. Non omnia appetunt idem ſingulare bonum: ſic enim piſces aquam, homo aërem appetit, & cuique rei ſuum eſt particulare bonum. Secundò. Omnia appetunt idem particulare bonum, ſcil. DEVM, quatenus omnia æternitatem deſiderant, vt ſic aliquo modo

Deum participent, qui ſolus æternus eſt. 3. In omni particulari bono deſiderant omnia rationem communis boni, ſiue quatenus in quouis particulari bono ratio Boni abſolutè reperitur. 4. Duplex eſt Bonum, vnum reale, alterum apparens: ergo quicquid appetitur, ſaltem ſub ratione boni apparentis appetitur. Sic qui violentas ſibi manus infert, non appetit mortem tanquam malum, ſed quòd exiſtimet ſe multis liberandum miſeriis per mortem. 5. Cùm obiicitur, *Ignoti nulla cupido*, quomodo igitur plantæ & res inanimatæ quæ non cognoſcunt bonum, appetere poſſunt. Reſpond. Diriguntur ab Authore naturæ ad ſuum finem: ideóque Author naturæ eorum bona cognoſcit, & ad ea dirigit.

Quoad deſcriptionem, Bonum eſt ſui diffuſiuum: & quo aliquid melius eſt, eo magis ſeſe diffundit. Vnde DEVS optimus eſt, quòd omnibus dederit eſſe.

FINIS ſic deſcribitur: *Eſt id cuius gratiâ aliquid fit.* Et licèt idem ſit realiter finis, & bonum, tamen formaliter diſtinguuntur; quia non eſt idem alicuius gratia aliquid fieri, & appetibile eſſe omnibus. Quærunt quomodo aliquid agat alicuius rei gratiâ, ſi illam non cognoſcat: ſed res inanimatæ, imò & cetera animalia non cognoſcunt finem, quomodo igitur aliqui propter finem agunt? Reſpon-

deo: Cognoſcunt finem materialiter, non autem formaliter; id eſt, cognoſcunt eam rem quæ finis eſt, licèt non cognoſcant vt finem: ſicut ſi Regem viderem neſciens eſſe Regem, cognoſcerem quidem eum qui Rex eſt, non tamen prout Rex eſt. Sic animalia non cognoſcunt finem formaliter, ſed materialiter. Volumus autem finem ſine fine, media autem maximè finita petimus; v. gr. ſanitatem deſideramus ſine fine, media autem quo ſunt faciliora, breuiora, eò magis deſideramus.

Quid eſt oppoſitum Fœlicitati?

Eſt *miſeria*, ſeu *calamitas*. Vt igitur Fœlicitas eſt actio perfectiſſima perfectiſſimæ virtutis in perfecto: ita Calamitas eſt actio imperfectiſſima imperfectiſſimi, id eſt, ſummi vitij. Quamuis notandum eſt neminem mortalium habere poſſe ſummum vitium; quia nemo poteſt habere omnia vitia, quia vitia non tantùm cum virtute, ſed etiam cum vitiis pugnant; vt, nemo ſimul poteſt eſſe prodigaliſſimus & auariſſimus: ſed requiritur ad ſummam miſeriam ſummum vitium: quod eſſe non poteſt. Aliter autem res ſe habet in Fœlicitate, quia virtutes inter ſe ſunt connexæ, & auxiliares præbent manus. Summa igitur miſeria eſt odium Dei, & atheiſmus: ſicut enim contemplatio Dei, & Amor Dei,

Digitized by Google

reíque publicæ,ſumma fœlicitas eſt; ita ignorantia Dei & atheiſmus: Item odium Dei & miſanthropia ſummum vitium eſt,& miſeria, quam vno vocabulo vocare poſſumus feritatem,cùm homo feris peior euadit.

Qualis Fœlicitas?

Primò eſt honoranda, non laudanda; nec enim aliquid laudamus niſi propter aliud; vt, laudamus hominem propter actiones virtutis. Honoramus autem aliquid propter ſe, non propter aliud. Sic,inquit Ariſtot. honoramus Deum,non laudamus, quia Deus non refertur ad aliud. Cùm igitur Fœlicitas non ad aliud referatur, honoranda eſt. Deinde principia(inquit)idem maximè ſunt honorabilia: Fœlicitas autem principium eſt: ergo honorabilis eſt. Hinc ait Ariſtotel. nos maximè antiqua honorare, quia principia ſunt.

BONA tria ſunt in nobis: alia nec ſunt laudabilia, nec honorabilia, vt facultates & potentiæ; v.gr. facultas in ruſtico per quam poteſt eſſe malus vel bonus,nec laudatur,nec honoratur;nec vituperatur. Alia ipſi habitus, qui ſi ſint boni,laudantur;ſi ſint mali,vituperantur. Alia ſunt actiones,quæ ſi ſint bonæ, honorãtur;ſi ſint malę,afficiũtur infamia,&c.

Secundò, Fœlicitas eſt in qua reperiuntur iſta,quòd ſit optima, præſtantiſſima, ſuauiſſima, &c.

PARS SECVNDA.

De Virtutibus & Vitiis.

QVANDOQVIDEM Fœlicitas ſit actio virtutis, & Miſeria ſit actio vitioſa, de vtroque dicendum eſt ordine & methodo reſolutoriâ, per quam ad principia vſque prima virtutis & vitij, adeóque fœlicitatis & miſeriæ deueniemus.

Nomina & ſignificatus Virtutis & Vitij.

Licèt *Virtus* Latinis, ἀρετὴ Græcis dicatur ſubſtantiuè, non tamen dicitur *virtuoſus*, ſed potiùs *ſtudioſus*, nec ἀρεταῖος, ſed σπουδαῖος, Gallicè *Vertu*, *Vertueux*, ait Ariſtoteles cap. de Qualitate, dici. Dicitur autem Virtus, quòd virum maximè deceat, &c.

Virtus ſignificat primò omnem facultatem cuiuſuis ſpeciei naturaliter conceſſam ad aliquid faciendum, aut reſiſtendum: Sic vocantur variæ virtutes herbarum, metallorum, &c. Sic etiam homini ſunt virtutes naturales, ſemina nimirum & igniculi bonæ mentis, indolis, & ingenij, quibus opponitur imbecillitas naturalis; quo modo aliquæ plantæ minùs quàm aliæ poſſunt. Sic etiam vitia quędam naturalia ſunt in homine; vt, hebe-

tudo ingenij, &c. (de his, quia naturalia ſunt, non hîc loquimur.)

2. Virtus ſignificat bona corporis, ſiue virtutes quatuor corporis naturales, ſc. ſanitatem, robur, pulchritudinem, & perſpicaciam ſenſuum: quæ virtutes proportione reſpondent quatuor virtutibus moralibus, ſcil. robur fortitudini, perſpicacia prudentiæ, pulchritudo temperantiæ, ſanitas iuſtitiæ: quibus oppoſita ſunt ſua vitia; nec de iſtis loquimur, quia non tam ſunt hominis virtutes ac vitia, quàm corporis naturalia.

3. Virtus ſignificat infuſas diuinitùs & præſertim quas vocant Theologicas, ſc. Fidem, Spem, & Charitatem: Deinde Gratiam, aut alias etiam virtutes intellectus, quales infudit Deus Salomoni; quæ virtutes hoc habent, vt non tantùm dent bene eſſe, ſed dent abſolutè eſſe: v. gr. per Fidem Chriſtianam non tantùm bene credimus, ſed per eam habemus abſolutè vt credere poſſimus. De his virtutibus, quia labore noſtro non acquiruntur, ſed ſupernaturaliter habentur, non hîc loquimur, pertinet enim ad Theologos Chriſtianos.

4. Igitur Virtus ſignificat habitum bonum, bonámque qualitatem noſtro labore, exercitio, more, conſuetudine & operâ, necnon induſtriâ acquiſitam; cui pariter oppo-

nitur vitium noſtrâ culpâ contractum. De his igitur hîc loquendum eſt.

De exiſtentia Virtutis.

Omnis res pro fine habet actionem, ideóque & homo, non autem actionem qualemcumque, ſed actionem bonam, benéque factam, vt ſuprà oſtendi. Illa autem actio bene facta eſt virtus actualis, & ab ipſa virtute habituali.

Quid eſt Virtus?

Virtus Actualis nihil eſt aliud quàm actio bona benéque facta à virtute habituali. Virtus autem habitualis eſt habitus bonum efficiens eum qui poſſidet, ipſiuſque opus perficiens: ſiue, Eſt qualitas diu permanens, non facilè mobilis, bene afficiens ſubiectum.

Prior deſcriptio adiungit (actio bona, bene facta) quia vt actio virtutis dicatur, non ſatis eſt vt bona ſit, ſed vt bene facta ſit, id eſt, ſecundùm ſcientiam, aut ſine vlla difficultate, mora, aut repugnantia; v. gr. ruſticus bonum efficit ſyllogiſmum, non tamen bene factum, quia ignorans ſyllogiſmum facit, ideóque non eſt actio virtutis Logicæ. Item diſcipulus nouitius ſyllogiſmum facit bonum, nec ignorans facit, ſed quia cum difficultate & mora facit, nondum cenſetur hæc actio perfecta virtutis Logicæ. Pariter aliquis moderatur iram, ſed cum magna adhuc repugnantia ap-

petitus iraſcibilis, ideò non cenſetur hæc actio virtutis, ſed ſemi-virtutis: de qua poſteà.

In ſecunda definitione, genus Virtutis eſt habitus: & quia nemo definitionem nouit ignorato genere, de Habitu dicendum eſt.

HABITVS igitur eſt *diſpoſitio diutina, non facilè mobilis, benè vel malè afficiens ſubiectum*. Ita Ariſtoteles cap. 5. de Qualitate.

Quæritur quomodo habitus acquiruntur, conſeruentur, augeantur, minuantur, & deperdantur? Reſpondeo ad primum: Habitus acquiruntur ex repetitis actibus; quia fabricando fabri fimus, &

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Poteſt tamen aliquando fieri vt vno actu habitus acquiratur, ſi nimirum maxima ſit intentio illius actus, & obiectum non ita difficile. Sic aliquis vnâ demonſtratione per Axiomata poteſt acquirere ſcientiam alicuius concluſionis: ſic vno actu vehementiſſimo amoris beata Magdalena potuit acquirere habitum amoris Chriſti. Sed quia vel obiectum difficile eſt, vel ſubiectum non eſt diſpoſitum, vel actus non intenſus; ideò ordinariè habitus non acquiritur niſi repetitis actibus; non quòd vltimus actus abſolutè faciat habitum, ſed quòd vltimus actus quatenus alios præſupponit, habitum efficiat

ſicut non vltima vnitas facit numerum ſeptenarium,ſed quatenus vltima vnitas alias præſupponit: Signum autem habitus eſt voluptas quam inde percipimus, & cùm nullam ampliùs difficultatem experimur. Reſpondeo ad ſecundum: Habitus conſeruantur per ſimiles actus,&, vt ſic dicam, habitus imperium quibus acquiritur,iiſdem retinetur. Ad tertium. Augentur habitus per plures & intenſiores actus: nam vt ſe res habet ad eſſe, ita ſe habet ad melius eſſe. Si igitur acquiritur res per actus, certè per intenſiores actus intenſior acquiretur. Ad 4. Minuuntur per minùs intenſos actus. Ad 5. Amittuntur & corrumpuntur per contrarios actus; vt habitus temperantiæ per actus intemperantes amittitur.

Quæ eſt materia Virtutum interna,ſiue de paßionibus animi humani.

Nomen, & ſignificatus.

Vocantur *Pathemata animi*,*Paßiones*,*Motus animi*.*Perturbationes*, & à Stoïcis *morbi animi*,quamuis immeritò,vt videbitur.

Paſſiones aliquando ſumuntur pro paſſionibus corporis; Sic dicitur Paſſio IESV CHRISTI. Aliquando pro paſſionibus, id eſt,qualitatibus ſenſibilibus in fieri; v.gr.erubeſcere, palleſcere, ſunt paſſiones ſenſibiles corporis

corporis, quatenus ſunt qualitates in fieri: aliud enim eſt palleſcere, aliud pallor: aliud erubeſcentia, & aliud rubor. Sed propriè paſſiones ſumuntur pro motibus animi, id eſt, pro actionibus appetituum tam iraſcibilis quàm concupiſcibilis: ideóque in rebus ſpiritalibus nullæ ſunt propriè paſſiones. Vnde Deus propriè non iraſcitur, nec dolet, ſicut nec Angeli.

Exiſtentia Paſſionum.

Quotidiana experientia monſtrat Iram, Odium, Amorem, &c. quibus mens ipſa perturbatur, itaut ratio quaſi obtenebretur; & vt ait Boëtius:

Pelle timorem,
Spémque fugato:
Et dolor abſit, &c.
Mutila mens eſt
Hæc vbi regnant. Et alibi:
Habet hoc omnis voluptas,
Stimulis agit euentus,
Apúmque par volantum
Vbi Græca mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quid eſt Paſſio animi?

Eſt *motus appetitus circa bonum proſequendum, vel malum fugiendum cum ſpirituum &*

ſanguinis conſequente motione; v. gr. viſo inimico, appetitus tanquam ad malum proſequendum mouetur, id eſt, timet, aut iraſcitur: ad quem motum ſequitur ſpirituum & ſanguinis, præſertim circa cor, perturbatio, commotio, & efferueſcentia.

Ad Paſſionem requiritur 1. cognitio ſiue imaginatio alicuius rei. 2. requiritur imaginatio tanquam rei bonæ vel malæ. 3 Ad hanc imaginationem appetitus agit, id eſt, appetit, ſiue paſſionem facit, vel potiùs paſſione afficitur, id eſt, timet, aut dolet, &c. 4. Sequitur commotio ſpirituum & ſanguinis, præſertim circa cor, qui eſt primus effectus paſſionis animi; vel potiùs eſt ipſamet paſſio corporis, quæ ſequitur paſſionem animi tanquam ſignum phyſiognomonicum: & vnde dicitur, (*Vultu Heu quàm difficile eſt mentem non prodere*; & inde Phyſionomia ſtabilita eſt, quòd corpus animo compatiatur, ſicut & animus corpori, ait Ariſtot. lib. de Phyſionomia: vt, ſi times, palles: times animo, palles corpore, Pariter ſi pateris corpore cùm patitur animus dolendo: tandem ſequitur vel proſequutio illius boni, vel fuga illius mali: vel tanta ſit perturbatio, ſequitur attonitum corpus & immobile, & velut fulguritum, & *Vox faucibus hæret, Stantque Comæ; & rigidus*

coit in præcordia ſanguis. Ergo debet eſſe materia paſſionum bonum vel malum cognitum, ſiue æſtimatum, ſiue imaginatum.

Finis autem paſſionum eſt ſalus animalis, &c.

Quot ſunt paßiones animi?

Sunt triplices: Aliæ ſuâ naturâ ſunt malæ aliæ bonæ, aliæ indifferentes. Suâ naturâ bonæ ſunt quæquidem non ſunt virtutes, aut virtutum actiones, quia poſſunt etiam in pueris incapacibus virtutum reperiri, imò & in vitioſis: tamen ſunt laudabiles, ſeu bonæ, quia ſunt ſigna boni animi, aut virtutis futuræ: tales potiſſimùm ſunt tres; Indignatio, Miſericordia, Pudor: iſtæ enim & in pueris & in peruerſis reperiri poſſunt, ideò non ſunt vitutes. Tamen vt Diogenes puero erubeſcenti: Confide, puer, color eſt virtutis. Ita de aliis virtutibus. Laudabile enim eſt miſericordem eſſe, id eſt dolere ob mala quæ homini non merenti eueniunt: & laudabile eſt indignari ob bona quæ hominibus immerentibus eueniunt: & laudabile eſt pudere. Nam vt ratio in hominibus frænum eſt vitiorum: ita in pueris pudor eorundem frænum eſt.

Paſſiones ſuâ naturâ malæ ſunt his oppoſitæ, ſcilic. Impudentia, cùm ob malum non erubeſcimus, aut ob ſuſpicionem mali

Immiſericordia cùm ob mala, quæ bonis eueniunt, lætamur: Maleuolentia & Inuidia, cùm dolemus ob bona quæ bonis eueniunt, vel lætamur ob bona quæ malis eueniunt.

Paſſiones indifferentes ſunt ex ſua natura nec bonæ, nec malæ. Sed Stoici docent omnes paſſiones eſſe malas, & velut morbos, ideòque habent ἀπατείαν impaſſibilitatem; vnde ille ait *Fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.*

Errant primò. Quòd natura omnibus conceſſit, malum non eſt: ſed paſſiones omni animali dedit: ergo, &c. Secundò, inſtrumenta virtutis non ſunt mala ex ſua natura; Ira autem, v. gr. eſt inſtrumentum virtutis contra concupiſcentiam, &c. Tertiò, Chriſtus Dominus paſſiones habuit dùm fleuit, & flagello eiecit ementes, &c.

Quot ſunt paſſiones indifferentes?

Sunt duodecim hoc ordine: Amor, Odium: Deſiderium, & Auerſio: Lætitia, & Triſtitia: Spes, & Deſperatio: Audacia, & Timor: Ira, & Mollities animi. Sic declarantur,

Amor eſt circa bonum abſolutè: Odium circa malum abſolutè. Sic amamus ſanitatē, fœminas: ſic odio proſequimur morbos, & aliqui fœminas. Deſiderium eſt circa bonum futurum; ſic ſanitatem æger, fœminam

vxorandus deſiderat. *Auerſio* eſt circa malum futurum, vel quod exiſtimat futurum; ſic æger mortem, cœlebs fœminam ducendam auerſatur. *Lætitia* ſeu *Voluptas* eſt circa bonum præſens: Sic ſanitate recuperata æger, vxore ductâ lætatur vxorandus. *Triſtitia* eſt circa malum præſens: ſic cœlebs vxore ductâ quam non concupiuerat, triſtatur. *Spes* eſt circa impedimenta quæ amoliri nos poſſe ſperamus; vt ſi quis ſperat poſſe flecti eum qui impedit ne vxorem ducas eam. *Deſperatio* eſt cùm impedimenta nos amoliri poſſe diffidimus, vt eum flecti non credimus qui impedit. *Audacia* eſt cùm in eum qui impedit inſurgimus, & punimus. *Timor* eſt cùm ab eo qui impedit nos puniendos arbitramur. *Ira* eſt cùm in eum qui punit inſurgimus: *Mollities* verò cùm quaſi attoniti eum qui punit non inuadimus.

Quæ paſſio vehementior & difficilior domitu?

IRA vehementior eſt, ſed non ita diu durat; ideóque *Ira furor breuis eſt*: & vt dicitur, *non audit currus habenas*: ergo irato reſiſtere in ipſa vehementiſſima actione, difficillimum eſt: Sed facilè iratus redit ad rationem: Voluptas verò non ita intenſa eſt, ſed diutiùs permanet, quia ſpe boni nobis

abblanditur. Hactenus ergo materia virtutum moralium.

Quid eſt ſemi-virtus moralis, & ſemi-vitium morale?

Ad Virtutem Moralem requiritur recta ratio, & rectè imperans, & appetitus promptè obediens. Ad Vitium requiritur ratio peruerſa peruersè imperans, & appetitus promptè obediens peruerſæ rationi. Si igitur ratio quidem rectè imperet, non autem promptè obediat, ſed cum difficultate appetitus, eſt ſemivirtus: Pariter ſi recta quidem ratio eſt, ſed tandem ab appetitu vincitur, eſt ſemivitium: Quo ſenſu dicitur *Video meliora, probóque, Deteriora ſequor.*

Semivirtutes potiſſimæ ſunt Patientia, & Tolerantia: Semivitia potiſſima Impatientia, & intolerantia. Patientia quidem circa appetitum concupiſcibilem quem refrænamus; Tolerantia verò circa appetitum iraſcibilem quem moderamur.

Quotuplex eſt Virtus?

Triplex: vna *Intellectualis*, alia *Moralis*, & tertia *Heroica.*

Quid, & quotuplex Intellectualis Virtus?

Eſt habitus bene diſponens intellectum eiúſque operationes perficiens.

Eſt autem quintuplex: 1. eſt *Mens*, ſeu *Habitus* principiorum cognoſcens Axiomata ſine cauſis; horum enim nullæ ſunt cauſæ. 2. eſt *Sapientia*, cognoſcens res altiſſimas & diuiniſſimas per cauſas altiſſimas. 3. eſt *Scientia* cognitionis rerum neceſſariarum per cauſas certa & euidens. 4. eſt *Prudentia*, habitus nimirum cum vera ratione actiuus. 5. eſt *Ars*, Habitus cum vera ratione effectiuus: de quibus omnibus in Prolegomenis Philoſophiæ & Logicæ dictum.

Quid, & quotuplex virtus Moralis?

Eſt habitus electiuus circa bonum vel malum humanum cum recta ratione in mediocritate conſiſtens.

Eſt autem quadruplex: Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia.

Dicitur (in mediocritate conſiſtens rationis, ſiue cum recta ratione; vnde dicitur, *medio tutiſſimus ibis*: *Aurea mediocritas*, &c.

MEDIVM autem duplex eſt: primum *rei*, quod apud omnes idem eſt; Sic centrum eſt medium circuli vbique apud omnes. Aliud eſt Medium *rationis*, quod nimirum homo prudens ſecundùm rectam rationem definiuerit. hoc Medium pro ratione perſonarum, temporum, locorum variatur, v. gr. in omni virtute morali hoc medium re-

quiritur, non nimis comedendum eſſe, nec nimis parum, ſed mediocriter. Hoc autem non poteſt definiri abſolutè. Nam ſi aliquis diceret tres libras panis nimiùm eſſe, vnam verò parum, duarum verò medium reſpectu omnium hominum, is valdè aberraret. Nam agricolæ robuſto iuueni & vehementer fame laboranti tres libræ panis fortè nimis parum ſunt: vna verò libra panis fortaſſe alicui nimis multùm erit: ego ſecundùm rectam rationem hominis prudentis ſtatuendum eſt medium in quo virtus verſatur. Nec tamen medium eſt abſolutè, ſed extrema poſſunt eſſe media, dummodo recta ratio ſuadeat; vt, aliquis poteſt intenſiſſimè peccatũ odio proſequi, ſecundùm illud, *Perfecto odio oderam illos.* & aliquis poteſt Deum intenſiſſimè amare, ſecundùm illud, *Diliges Deum ex toto corde, viribus,* &c. Item aliquis poteſt ab omni venere abſtinere, vt virgines, adoleſcentuli, Religioſi, & tamen cenſebitur medium obſeruaſſe, quia ſecundùm rectam rationem Prudentia id facit, Dicitur Virtus (habitus electiuus) id eſt, requiritur vt conſultò ſeu deliberatò aliquid agamus liberè, & non inſcienter, ſed ſponte. Sponte, ſiue ſpontaneò opponitur non ſponte, ſiue inuitè, & opponitur nec ſponte.

Sponte is agit vel qui ſecundùm naturalem inclinationem agit; hoc modo lapis ſponte deſcendit; vel qui ſciens agit, v. gr. verbero inimicum ſciens eſſe inimicum, &c.

Inuitè agit aut patitur, quo contra naturalem inclinationem agit, aut patitur: ſic lapis inuitus aſcendit, ſc. contra propenſionem: ſic inuitus patitur aliquis verbera, &c. Vel inuitè agit qui inſcius agit; vt ille apud Ouidium orator qui Oram innocens occidit vxorem putans eſſe feram, &c.

Nec ſponte agit qui inſcius quidem aliquid fecit, ſed poſtquam fecit, certior factus quid fecerit, nec dolet, nec pœnitet; vt ſi quis iniuſtam occiderit nouercam inſcius, ſed poſtquam nouit quam occiderit, non dolet: & hic cenſetur ſponte feciſſe. Nec tamen ſatis eſt ad virtutem & vitium, vt ſponte agat, ſed etiam debet liberè, ſiue voluntariè agere, & ex electione, ſiue delibetatò & conſultò. Nam & beſtiæ, & pueri, & amentes ſponte agunt, non tamen ſunt capaces virtutis aut vitij. Requiritur igitur vt recta ratio præcedat, & proponat, & deliberet quidnam ex multis faciendum ſit, & ad quem finem, & quo modo, &c. & vt inde voluntas liberè tamen ſequatur & eligat quod certa ratio perſuaſit. Vnde talia animalia libera non ſunt, nec eligunt, ſed

tantùm id quod imaginationi repræſentatur tanquam optimum, neceſſariò ſequuntur. Id autem quod videtur peſſimum imaginationi neceſſariò abhorrent & fugiunt: homo autem liber eſt: nam licèt ſenſui, v.gr. guſtus appareat caro præſtantior quàm, v. gr. panis, poſſum tamen eligere panem quacunque tandem ratione id faciam; ſi enim cum recta ratione, virtus eſt; ſi aliter, vitium.

Nota tamen non ideò excuſari aliquem quòd ignorans egerit, ſeu inſcius; ſed requiritur vt per ignorantiam ſiue per inſcitiam egerit: nec enim hæc vnum & idem ſunt. Nam is dicitur inſcius egiſſe qui cauſa eſt ſuæ ignorantiæ; vt ſi quis ebrius alium verberarit inſcius propter ebrietatem, non excuſatur, quia eſt cauſa huius ebrietatis, ideóque & ignorantiæ. Pariter ſi aliquis ex ira aliquid commiſerit inſcius, non excuſatur: cur enim iraſcitur?

Per ignorantiam agere is dicitur, qui non eſt cauſa talis ignorantiæ: vt omni ſtudio adhibito non potui ſcire te eſſe amicum: & cùm te verberaui, per ignorantiam feci, ideóque excuſor.

Eſt autem duplex Ignorantia: vna iuris naturalis: altera, circunſtantiarum ſiue facti, & pleramque partem iuris ciuilis.

Digitized by Google

Nemo excuſatur ſi per ignorantiam iuris naturalis, quod eſt in Decalogo perſcriptum, aliquid commiſerit; vt ſi quis dicat, neſciebam non eſſe furandum, falſum teſtimonium dandum, &c.

Ignorantia facti & circunſtantiarum, eſt cùm aliquis aliquam ex his circunſtantiis ignorat:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quomodo quatuor ſunt Virtutes Morales?

PRVDENTIA eſt virtus intellectualis quatenus ſedem habet in intellectu practico. Eſt autem moralis quatenus regit alias virtutes, ſiue mores, ſiue quatenus eſt domina virtutum, & circa illarum obiecta verſatur.

IVSTITIA eſt Virtus moralis in voluntate ſedem habens, quæ circa ius & æquum verſatur, & vnicuique ſuum tribuit: vnde animalia cùm voluntate careant, iuſtitiâ carent.

FORTITVDO eſt Virtus moralis in iraſcibili appetitu ſedem habens, & verſatur circa omnium terribiliſſimum, ſcil. circa mortem, & quæ ad eam faciunt propter ſolam honeſtatem.

TEMPERANTIA eſt virtus in appe-

titu concupiſcibili ſedem habens, & verſatur potiſſimùm circa moderandas voluptates guſtus, & tactus per ſobrietatem, in venere per caſtitatem.

Quid eſt Virtus Heroica?

Eſt habitus acquiſitus per intenſiſſimas actiones, & quaſi ſupra hominem;; itaut appetitus non tantùm ſedatus, & non repugnans ſit, ſed omnino quaſi mortuus. Tale exemplum eſt, v. gr. D. Laurentij in craticula vſti, & dicentis; *Verte, deuora, hæc pars ſatis aſſata eſt.* Tala exempla ſunt Danielis, Stiltæ; &c. Tale exemplum Chriſti Domini quadraginta dies abſque cibo & potu abſtinentis. Talis eſt admiranda Virginitas Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

Quæ ſunt præcipua virtutum principia?

Tria potiſſimùm: Ratio, Voluntas, & facultates rationi & voluntati obedientes; Vbi enim ratio non eſt, nulla eſt virtus: vbi voluntas non eſt, pariter nulla eſt. Quòd ratio & voluntas ſint, nulla tamen ſit facultas quæ obediat, nulla poteſt eſſe virtus. Hinc cùm non obediat potentia nutriendi cum famemus, ſitimus, nutrimus, creſcimus, non obedit facultas, ideóque non poteſt eſſe virtus.

De Ratione vt eſt principium virtutis.

RATIO vna eſt Speculatiua: alia Effectiua: tertia eſt Practica.

Ad Virtutem Moralem requiritur ratio practica: ad Virtutem Intellectualem quæ verſatur circa neceſſaria, requiritur ratio contemplatiua, quæ verſatur circa contingentia: illa requirit rationem effectiuam.

RATIO Practica eſt quę verſatur circa bona & mala humana, id eſt, circa honeſta & turpia: hæc, vt euitet; illa, vt proſequatur Habet autem hæc ratio principia & axiomata moralia certiſſima; v. gr. ALTERI NE FECERIS, NEC DIXERIS, QVOD TIBI FACTVM AVT DICTVM NOLIS.

NEMINEM LÆDERE.

SVVM CVIQVE TRIBVERE.

HONESTE VIVERE.

MELIVS EST BENE ESSE ET BENE OPERARI, ſiue ſecundùm virtutem, QVAM MALE ESSE ET MALE OPERARI, ſiue ſecundùm vitium.

DE VOLVNTATE.

Eſt facultas ſpiritalis libera in ſuis actionibus: id eſt, poſitis omnibus requiſitis ad agendum. Voluntas enim poteſt facere, vel

non facere: velle, nolle: aut non velle, ſiue ſuſtinere. Quòd autem libera ſit, hinc patet, quòd homines laude aut vituperio afficiantur, præmiis & pœnis, non tantùm ab hominibus, ſed etiam ab ipſo Deo. Atqui ſtultum eſſet punire, v. gr. lapidem, quòd deſcendat, quandoquidem non poſſit aliter facere: ita ſtultum foret hominem vel hîc, vel ſempiternis ſuppliciis puniri ſi coactus mala faceret. Pariter ineptum eſſet laudare lapidem quòd deſcendat, & vituperare quòd non aſcendat; quia aliter facere non poteſt. Pari modo ineptè homo Virtuti deditus laudaretur, & vitioſus vituperaretur, ſi coactè id faceret, non liberè.

Eſt autem duplex Libertas: vna *contrarietatis*, altera *contradictionis*. Libertas Contradictionis eſt per quam voluntas poteſt exercere actus contradictorios circa idem obiectum; vt voluntas poteſt amare vel non odiſſe malum. Libertas Contrarietatis, per quam voluntas poteſt actus contrarios exercere circa idem obiectum; v. gr. ſi poteſt amare vel odiſſe bonum quatenus bonum eſt: item ſi poteſt velle vel nolle malum quatenus malũ eſt. Sed quæritur vtrum voluntas hoc modo libera ſit? Communis ſententia negat: Okamus tamen affirmat: de qua re in Commentariis.

De facultate obediente rationi & voluntati.

Primò, ratio ipſa ſibi obedit & voluntati; nam mens humana per Logicam, ſiue cùm inſtructa eſt, ſibi obedit: ſicut cùm Rex ſeipſum regit: pariter obedit voluntati; volo enim vt intellectus meus ſtudeat: ergo intellectus voluntati obedit.

2. Voluntas ſibi obedit; vt, voluntas vult amare. item obedit rationi non tamquam imperanti, ſed tamquam dirigenti; voluntas enim libera eſt.

3. Obediunt voluntati & rationi ſenſus interni, vt imaginatio phantaſia: item appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis: item potentia motrix, vt potentia ambulandi, loquendi, ſcribendi, *&c.* Sed Voluntati & Rationi non obedit potentia vegetandi, vt ſuprà dixi.

PHYSICÆ COMPENDIVM.

PRÆFATIO.

EX mente Ariſtotelis, & ad eius methodum concinnatum Natvræ Compendium inſtitui. Sed ad morem huius ſæculi obiectiones contra veritatem propoſitas ſoluam.

PROLEGOMENA.

De nominibus PHYSICÆ.

PRimum nomen eſt Physica, id eſt, *naturalis*. Dicitur Phyſica à Greco φύσις id eſt naturalis, à natura: Et ſicut natura dicitur à naſcendo; ita φύσις à φύειν; tractat enim

enim Phyſica res quæ naſcuntur & denaſcuntur, id eſt, quæ oriuntur & moriuntur.

Obiic. Phyſica tractat DEVM, Angelos, Cælos, Materiam primam, Animam rationalem; quæ omnia nec oriuntur, nec moriuntur. Reſpond. Non tantùm ea quæ naſcuntur aut moriuntur tractat, ſed etiam Cauſas & Principia eorum omnium: Iam Deus eſt cauſa vniuerſalis omnium naturalium, Angeli verò & Cæli ſunt cauſæ vniuerſales ſublunarium: Materia autem & Anima ſunt principia vel omnium vel potiſſimorum.

Secundum nomen eſt PHILOSOPHIA SECVNDA, quia inter ſpeculatrices ſcientias ſecundum locum obtinet, ſc. Metaphyſica eſt prima, Mathematicæ tertium, Phyſica ſecundum locum obtinet. Ratio eſt: Dignius obiectum digniorem facit ſcientiam: ſed Metaphyſicæ obiectum vtpote ſpiritale, eſt nobiliſſimum: Phyſicæ autem obiectum eſt ſubſtantia corporea, quæ vt eſt ignobilior ſpiritu, ita eſt nobilior quantitate, quæ eſt accidens, & obiectum Mathematicarum.

Obiic. Mathematicæ ſecundum locum obtinent, quia certiores habent & euidentiores demonſtrationes.

Digitized by Google

Nota. Dignitas ſcientiæ petitur vel à ſubiecto in quo eſt, vel ab obiecto quod tractat, vel ab abſtractione, vel à modo docendi, vel à certitudine. Sic propter ſubiectum nobilior eſt ſcientia quàm Prudentia: Hæc enim non eſt in Deo, ſcientia autem eſt in Deo. Sic propter obiectum nobilius præſtat Aurifaber Lignario. Sic propter abſtractionem Metaphyſica nobiliſſima eſt, cùm omni modo à materia abſtrahat: Sic propter certitudinem nobilior eſt Mathematica: ſic propter modum docendi prima eſt Grammatica. Reſp. Phyſica prima eſt ſcientiarum ſpeculatiuarum ordine docendi. Ratio eſt: Ea prima ſunt docenda quæ faciliùs diſcuntur: ſed res naturales faciliùs diſcuntur. probo. Quæcunque cognoſcuntur & per intellectum & per imaginationem & per ſenſum, ea faciliùs cognoſcuntur: Sed res naturales per rationem cognoſcuntur, quia ſunt vniuerſales: & per imaginationem, quia habent quantitatem: Ea enim quæ quanta non ſunt, imaginari non poſſunt, & cognoſcuntur per ſenſum, quia mouentur, &c. Sed Mathematicæ res non cognoſcuntur per ſenſum, quia nec agunt, nec patiuntur, nec mouentur, ſed tantùm per imaginationem & intellectum; res autem Metaphy-

ſicæ ſolo intellectu cognoſcuntur, quia habent quantitatem.

Reſp. 2. Phyſica eſt ſecunda ratione obiecti: nam corpus ſubſtantiale prius eſt quantitate, & poſterius ente: ergo & Phyſica ſecundum ſeu medium locum obtinet. Reſp. 3. Phyſica vltima eſt tam ratione certitudinis quàm ratione abſtractionis. Prob. In Mathematicis non ſunt tot controuerſiæ vt in Phyſicis: ergo illæ ſunt certiores. Deinde: Mathematicæ abſtrahunt ab omni omninò materia, licèt non realiter; Phyſica verò à materia non abſtrahit: nemo enim definire poteſt hominem abſque materia: Mathematici autem definiunt quãtitates & figuras abſque materia. Quamuis notandum eſt quãtitatemvocati materiam intelligibilem, corpus verò naturale vocari materiam ſenſibilem.

Quæ ſunt ſignificationes Phyſicæ.

Primò Phyſica ſignificat ſcientiam quam naturaliter acquirimus: Sic vniuerſa Philoſophia vocatur Phyſica.

2. Phyſica eſt quæ de natura rerum ſcil. corporearum tractat, ſiue eam naturaliter acquiramus, ſiue à Deo infundatur, ſiue ope Angelorum habeatur, ſiue à nobiſipſis, ſiue à præceptoribus & libris hauriatur.

De exiſtentia Phyſicæ.

Eſſe ſcientiam de rebus naturalibus probatur; quia multas proprietates per veras cauſas de ſubiecto demonſtramus; omne compoſitum eſt diuiſibile, & mortale: ſed corpus naturale eſt realiter compoſitum: ergo diuiſibile & mortale.

Obiic. Scientia eſt de rebus æternis: Phyſica autem eſt de corruptibilibus, mortalibus: ergo non eſt ſcientia.

Reſpon. Tractat res corruptibiles non in ſingulari numero ſpectatas, ſed vniuerſaliter: atqui homo, v. gr. vniuerſalis non corrumpitur.

De cavsis Physicæ.

Quod eſt obiectum Phyſicæ?

Eſt corpus naturale quatenus naturale, vt abſtrahit à materia ſingulari. Probatur. Omnia quæ in Phyſica tractantur, ad corpus naturale referuntur, cuius principia, cauſæ, proprietates, & ſpecies per vniuerſam Phyſicam docentur.

Per *corpus* non intellige artificiale, nec corpus in communi quatenus eſt aliquid ſuperius corpore naturali & mathematico: de hoc enim tractat Metaphyſicus, nec intellige corpus mathematicum, id eſt, abſtractum à materia: Sed intellige corpus naturale, id eſt quod conſtat ex materia quanta, &

ex forma ſubſtantiali. Etenim corpus naturale etiam ſpectatur ſecundùm quantitatem, ſed non ſpectatur quantitas abſtracta vt in Mathematicis. Naturale igitur vocatur à duplici natura, ſcil. à materia & à forma. Dixi (quatenus naturale) id eſt quatenus habet principium motus & quietis; Etenim omne corpus naturale ſaltem extra locum ſuum moueri poteſt, etiam ipſa terra: & omne corpus in loco ſuo quieſcere poteſt, etiam ipſum cælum, ſi vel Angeli id mouere deſiſtant, aut ſi generationibus rerum non amplius inſeruiat, vt poſt extremum iudicium.

Dixi (vt abſtrahit à materia ſingulari) Nec enim Phyſicus ſpectat hominem iſtum aut illum ex hac aut illa materia: Ratio, quia non eſt neceſſaria connexio hominis cum hac aut illa materia, ideò non eſt obiectum ſcientiæ in materia ſingulari.

De forma, fine, & definitione Phyſicæ.

PHYSICA eſt ſcientia, vt probatum.

Obiic. De infinito nulla eſt ſcientia: res Phyſicæ ſunt infinitæ: ergo de iis non eſt ſcientia. Reſpond. Sunt infinitæ ſecundùm indiuidua poſſibilia quę non ſpectantur hîc, ſed ſunt finita ſeu perfecta ſecundùm eſſentiam; nihil enim eſſentiæ adiungi poteſt.

Digitized by Google

Obiic. Res Phyſicæ ſunt in perpetuo motu : quod autem eſt in motu, partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem, vel potiùs in medio inter vtrumque ; v. gr. quod calefit, partim eſt frigidum, partim calidum, vel potiùs nec eſt frigidum, nec calidum : ergo res in motu cùm ſint, ſciri non poſſunt. Reſpond. Res vel conſiderantur ſecundùm eſſentiam, & ſic non ſunt in motu vt homo : vel conſiderantur ſecundùm potentiam & proprietatem, & ſic non ſunt in motu, vt homo riſibilis : vel conſiderantur in actu, & hoc eſt per accidens : nec conſideratur à Phyſica, nec enim homo ridens conſideratur, quia per accidens eſt. Deinde ipſemet motus in ſe conſideratur quatenus eſſentiam certam habet.

Phyſica eſt ſpeculatrix, ſiue finem habet ſolam veritatem ; nec enim diſcimus cœlum vt poſſimus facere.

Obiic. Deus habet ſcientiam practicam de rebus naturalibus quas facit & facere poteſt. Reſp. In Deo vna eſt cognitio eſſentiarum quæ non ſunt factibiles : nec enim homo fieri poteſt, ſed tantùm homo exiſtens ſeu ſingularis : & ſic Dei Phyſica eſt ſpeculatrix. Alia cognitio eſt Dei, per quam res facere poteſt, & hæc co-

gnitio non eſt ſcientia, ſed ars Dei: ſicut Mathematicus habet ſcientiam de circulo, faber autem aliquis artem habet de circulo factibili.

Obiic. Medicina, Alchymia, Magia, ſunt partes phyſicæ, & tamen ſunt practicæ: non igitur Phyſica eſt contemplatrix. Reſp. Omnes artes mutuari ſuum ſubiectum à Phyſica, nec tamen ideò ſunt partes Phyſicæ, quia non tractant ſuum obiectum quatenus naturale, ſed quatenus factibile; vt aurifaber non ſpectat aurum ſecundùm eſſentiam, vt Phyſicus, ſed tantùm vt ex eo varias efficere figuras poteſt.

Deinde nulla ars docet facere opus naturale, nec poteſt facere tanquam cauſa naturalis, ſed tantùm tanquam cauſa moralis; id eſt, cauſa naturalis propriis viribus nouit, vult, poteſt facere opus, vt ſaxa per ingenitas vires noſcunt, volunt, & poſſunt deſcendere: ſed cauſa moralis nouit quidem & vult, ſed non poteſt propriis viribus facere, ſed tantùm applicando actiua paſſiuis: vt Medicina propriis viribus non poteſt facere ſanitatem, ſed tantùm medicamina rectè applicata eam efficiunt. Simili modo nec Alchymia aurum, nec dæmones per magiam, nec

magi aliquid efficere poſſunt niſi diſponendo.

Qualitates & partes Phyſicæ.

PHYSICA antiquior eſt omnibus Philoſophię partibus. nam ante Socratem nemo fermè de moribus: ante Ariſtotelem nemo Logicam ſeparatim docebat: & ex Phyſicis homines ad Metaphyſica peruenerunt: & ex motu Primum Motorem ſeu DEVM cognouerunt.

Phyſica vtiliſſima ad omnes artes quibus materiam ſuppeditat, vt Logicæ actiones mentis: Morali actiones voluntatis, &c.

Phyſica & iucunda, & honeſta, quia nihil iucundius, nihil honeſtius quàm ſeipſum, Deum & mundum cognoſcere.

Duplex eſt, vna hiſtorica, quæ effectus recenſet rerum naturalium; vt Theophraſtus plantas, Ariſtoteles animalia, Geſnerus lapides, Georgius Agricola metalla & foſſilia, Aldobrandus omne genus animalium: Coſmographi & Geographi terras, fluuios, maria, &c. Peregrinatores veri naturæ effectùs, vt Ludouicus Bartomanus, & alij, &c. Alia Phyſica eſt Æthiologica, quæ naturalium rerum cauſas tradit.

Huius partes ita conſtituuntur.

Prima tractat generatim de corpore natu-

rali, eius principiis, cauſis, naturis, & proprietatibus.

Secunda tractat de ſpeciebus corporum naturalium, & 1. de corpore ſimplici & immortali, ſc. cæleſti: & de corpore ſimplici mortali, ſcil. de Elementis. 2. de corpore compoſito, ſeu mixto, tam generatim quàm in ſpecie. Species autem corporis mixti ſunt vel non Viuens, quod eſt Meteorum, & Minerale, ac Lapides; vel eſt Viuens, ſcil. vel Planta, vel Brutum, vel Homo. Hęc omnia ordine perſequemur.

PARS PRIMA.

De Corporis naturalis principiis, cauſis, & proprietatibus.

CAPVT PRIMVM.

DE PRINCIPIIS.

Neceſsitas de doctrina Principiorum naturalium.

OMNIS ſcientia demonſtratiua fit ex Principiis, Cauſis, Elementis, *ex 1. Phyſic.* ſed Phyſica eſt ſcientia demonſtra-

Digitized by Google

tiua: ergo fit ex principiis, &c. Maior ſic intelligitur: Scientia vna eſt Principiorum, ſiue de Principiis; & hæc non fit ex Principiis, ne detur progreſſus in infinitum. Alia eſt ex principiis Demonſtratiua, id eſt, ſcientia concluſionis per principia, ſiue per ſyllogiſmum, qualis eſt Phyſica.

Per principia poſſunt intelligi cauſæ efficientes: per Cauſas poteſt intelligi Finis: per Elementa quæ ſunt in re, vt Materia, aut Forma, quę aliter vocantur naturæ, ſiue principia intrinſeca: nam Efficiens eſt primum ſeu principium: Finis autem eſt prima cauſarum mouens efficientem ad agendum: Materia autem & Forma inſunt in ipſa re quemadmodum elementa orationis inſunt orationi. Probatur maior. Scientia demonſtratiua fit ex maiori & minori, quæ ſunt principia concluſionis: ergo ſcientia eſt ex principiis.

2. Vt ſe res habet ad eſſe, ita ad cognoſci: res autem eſt per ſua principia ex quibus componitur: ergo vt res cognoſcatur, principia ipſius cognoſci debent.

Sed nota: Tribus modis res cognoſci poteſt, vel ſcientificè, vel dialecticè, vel rhetoricè. 1. modo fit Scientia per principia propria rei: 2. modo fit Opinio per principia communia, & locos dialecticos: 3. mo-

do Suſpicio ex circunſtantiis rerum aut perſonarum. Ita Albertus Magnus.

Pertinet ad Metaphyſicum tractare principia cõmuniſſima ſeu Axiomata, ſed ſcientificè, de iiſdem tractare pertinet ad Dialecticum, ſed probabiliter. Principia autem propria pertinent ad propriam ſcientiam, vt principia naturalium ad Phyſicam, &c. itaut Metaphyſicus tamen poſſit ea ſtabilire, & contra negantem diſputare.

Nomina & ſignificatus Principij.

PRINCIPIVM PRIMVM, ἀρχὴ independens in re, idem eſt.

Principium duo ſignificat: 1. principium externum, ſiue ſit cauſa efficiens, ſiue finis: Sic Deus eſt principium primum omnium rerum, Efficiens & Finale, ſiue principium eſt id à quo aliquid incipit, vt linea à puncto, ſiue vnde aliquid procedit, vt Filius à Patre æterno. 2. & propriè principium eſt quod primum & intrinſecum & eſſentiale eſt in re, idéoque idem eſt principium rei ac primum quod in re eſt.

An, & quid Principium?

Cùm res præſertim naturales ſint compoſitæ, principia neceſſariò ſunt illa ex quibus primò componuntur.

Principia generaliter ſunt ex quibus aliquid fit, vel eſt, vel cognoſcitur. Vnde Principia ex quibus aliquid fit, vocantur principia generationis: ex quibus aliquid eſt, compoſitionis ſeu eſſendi: ex quibus aliquid cognoſcitur, principia cognitionis. Eſt enim hic ordo naturalium. 1. Res fit antequam ſit, & priùs eſt quàm cognoſcatur. Hinc triplicia principia rerum naturalium docebũtur.

De Principiis cognitionis corporis naturalis.

Eadem ſunt principia Eſſendi & Cognoſcendi in Phyſica: quatenus enim rem conſtituunt, ſunt principia eſſendi: quatenus verò ſcientia ex illis dependet, ſunt principia cognitionis.

Quædam pro modulo Compendij recenſebo propria.

Natura nihil facit fruſtra.

Simile facit ſimile.

Non datur actio in diſtans, ſed ſphæritatis.

Ex nihilo nihil facit natura.

Natura facit optimum quod poteſt.

Quicquid fit de nouo, fit naturaliter.

Nemo ſeipſum facit.

Quicquid mouetur, ab alio mouetur.

Datur motus in rebus naturalibus.

Quod non eſt in loco & tempore, id non eſt.

Omne corpus eſt quantum & diuiſibile.

Digitized by Google

Natura abhorret ab infinito.

De Principiis rerum naturalium tam generationis quàm compoſitionis.
Sententiæ antiquorum ex Ariſt.

PRINCIPIVM vel eſt vnum, vel multa. Si eſt vnum, vel mobile, vel immobile, vel finitum, vel infinitum. Si ſunt multa, vel finita, vel infinita; vel eiuſdem naturæ, vel diuerſæ.

VNVM principium omnium rerum immobile & immutabile poſuerunt Parmenides & Meliſſus; vnus quidem finitum, alter infinitum. Qui Vnum Mobile poſuerunt, aut etiam plura, ſiue finita, ſiue infinita, hoc modo cognoſcuntur ratiocinantes: Ex nihilo (inquiunt omnes) nihil fit: ergo opus eſt aliquâ materiâ ex qua omnia fiant. Hanc materiam aliqui vocarunt *Chaos*, alij putauerunt eſſe *Ignem*, aut aliquid denſius igne, ſed ſubtilius aëre: alij putauerunt eſſe *Aërem*, aut aliquid craſſius aëre, ſed ſubtilius aquâ, ſcil. exhalationem quandam: alij arbitrati ſunt eſſe *Aquam*, aut aliquid quod ſit medium inter aquam & terram. Nullus verò *Terram*, propter immobilitatem, & quòd difficillimè mutabilis ſit, poſuit pro principio. Alij verò hæc omnia ſimul principium materiale ſunt arbitrati.

Iam verò cùm aliquid naſcitur ex materia; extrinſecus aduenit in ipſam materiam, vel ex ipſa materia eruitur, educitur, & quaſi latens emergit. Plato, Auicenna, & alij arbitrati ſunt in materiam aduenire formam diſtinguentem tanquam lumen aliquod ab ipſo fonte lucis, & datore luminis, vel DEO, vel aliquâ Intelligentiâ generationibus rerum præfectâ. Sicut enim lumen prout incidit in aliam materiam aut denſiorem, aut rariorem, aut opacam, aut minùs opacam, facit vt res ſit aut appareat vel nigra, vel alba, vel alterius coloris: ita cùm lumen illud ſeu forma procedens à Datore lucis in aliam atque aliam materiam incidit, rem aliam facit, aut aliter apparentem. Qui verò ex ipſa materia rem enaſci putauerunt, ij fuerunt Anaximander, Empedocles, Leucippus, Epicurus, Anaxagoras, Ariſtoteles, & Peripatetici omnes; hoc tamen diſcriminis: Anaxagoras & Empedocles arbitrati ſunt omnia fieri per ſegregationem & coniunctionem partium homogenearum, ſiue vt loquuntur, per Homæomeriam & Panſpermiam, id eſt ſeminificam rationem. Quod ſic intellige: In quauis re putauerunt eſſe omnia, licèt lateant, & rem tamen

vocari ab eo quod magis apparet : iam verò Mentem , ſiue Deum , per ſeparationem & coniunctionem facere quotidie vt aliquid de nouo emergat : non quidem vt de nouo naſcatur , ſed vt de nouo appareat ; v. gr. in aqua , aut pomo, &c. dixerunt latere infinitas particulas ſanguinis, carnis , liquoris , aliarúmque rerum : cùm verò ventriculus aquam aut pomum recipit, tunc per ſeparationem à Mente & Natura particulas homogeneas ſanguinis , carnis, apparere , & coniungi , quemadmodum ex pomo , aut vuis per ſeparationem non quidem fit pomacium , aut vinum de nouo , ſed exprimitur , & apparet. In hac ſententia fermè ſunt noſtri Chymici.

Ariſtoteles verò & peripatetici omnes concedunt ex nihilo nihil fieri , ſed negant anteà in materia eſſe formas actu , ſed tantùm in potentia ; v. gr. in nuce , fructu , aut alio ſemine non eſſe nucem arborem actu , ſed tantùm potentiâ , & per cauſas agentes de nouo produci ; quemadmodum ſi igni apponatur lignum , fieri quidem ex ligno ignem , ſed non anteà ibi latuiſſe , nec ab igne excitante dari quaſi aliquam particulam ignis per participationem, ſed omninò de nouo excitari ex ipſa materiæ potentia.

Ratio autem omnium horum eſt, Ex nihilo nihil fit. Si igitur ex ligno fit ignis tanquam ex materia, vel ignis præfuit; vel non: ſi non præfuit ignis: ergo ex nihilo ignis fit ignis, quod eſt contra naturam: ergo ignis anteà præfuit, ſed latebat, quemadmodum in planta latet ſuccus: ergo tantùm per ſegregationem de nouo apparet, anteà autem latebat: ergo cùm ex quouis poſſit fieri quoduis, vt ex planta fieri poteſt ignis, cineres, terra; item oleum, aqua, ſal, argentum viuum, vermes, &c. omnia ſunt in omnibus formaliter. Ariſtoteles autem conceſſit ex nihilo nihil fieri, ideóque ex materia, non tamen anteà præfuiſſe res ipſas actu, ſed tantùm in potentia; ideóque ſic diſtinguit: Ex nihilo in potentia nihil fit, concedo; ex nihilo in actu ſeu formaliter nihil fit, nego; ex ſemine enim quod non eſt animal formaliter, eſt tamen animal in potentia, fit animal.

Cenſura opinionum apud Ariſtotelem de PRINCIPIIS.

QVI dixerunt eſſe Vnum Principium tantùm infinitum & immobile, errant.

1. Quia nulla eſſet ſcientia de rebus naturali-

turalibus, res enim non cognoſcuntur niſi cognitis principiis. Si ergo principium ſit infinitum, & infinitum non poſſit cognoſci, res naturales ex infinito principio conſtantes non poſſent cognoſci. 2. Eſt Principium Phyſicæ aliquid eſſe mobile: cùm igitur negent principium eſſe mobile, negant id quod principium eſt. 3. Sequeretur omnes res eſſe vnam rem: nam res nihil aliud ſunt quàm ſua principia; vt homo nihil aliud eſt quàm anima & materia. Si igitur vnũ tantùm ſit principium omnium rerum, omnes res erunt vna res; v. gr. vel vnus homo, vel vna arbor, &c. quod falſum. 4. Malè argumentantur: Si enim dicunt, Quicquid factum eſt, eſt generatum: Principium non eſt factum: ergo non eſt generatum: ideóque immobile & immutabile, quia eſt minor negans in prima figura.

Tamen aliquo modo defendi poſſunt apud Simplicium. Eſt vnum principium externum, ſiue efficiens, ſcil. DEVS: vel eſt vna materia omnium rerum, vel eſt vna forma ſeu Anima mundi, licèt in diuerſiſſimis partibus, eſt tamen vna anima hominis: ita in diuerſis partibus mundi vna eſt fortè forma, ſeu anima mundi.

Qui dixerunt eſſe vnam materiam, quòd ex nihilo nihil fiat, rectè dixerunt; ſed non

rectè, quòd eam putauerunt vel eſſe Aquam, vel Aërem, *&c.* Præterea quòd ipſamet aqua aut aër conſtet ſuâ materiâ & formâ. Deinde Principia non debent ex ſe mutuo fieri, & tamen aqua fit ex aëre, & ex aëre aqua. Verum quidem eſt plurima ex aqua & aëre, *&c.* fieri, ſed non tanquam ex primis, cùm aër & aqua habeant aliquam materiam; ſed verum eſt ex aëre condenſato fieri aquam, ex hac condenſata terram, ex qua rarefacta aërem: ex aëre ignem: item omnia ſemina eſſe aquea & aërea.

Qui dixerunt omnem perfectionem & formam per quam res de nouo fiunt, dari à Deo, aut Angelo, verùm quidem eſt de anima rationali, falſum autem eſt de aliis; aliàs enim ſimile non poſſet facere ſimile, nec ignis ignem, nec arbor arborem generaret ſi omnia fierent à ſolo Datore formarum DEO, aut Angelo. Qui verò dicunt omnia eſſe in omnibus formaliter, errant. 1. Si infinita ſint in aliqua re principia, res non poterit cognoſci: infinita enim non cognoſcuntur. 2. Si in omnibus partibus, v. gr. pomi ſint infinita, etiam totum pomum erit infinitum: quod falſum. Quòd ſi totum pomum non eſt infinitum, nec partes erunt infinitæ, imò natura partes plantarum & animalium, atque ipſas plantas & animalia

in determinata facit magnitudine & paruitate. Tandem omne finitum ablatione finiti exhauritur: ergo ex guttula aquæ finita poſſunt ſeparari tandem omnes particulæ, v. gr. carnis: & hoc modo in aqua quæ remanebit, non erit caro; & ſic omnia non erunt in omnibus. Argumento reſpondetur: Ex nihilo nihil fit; Ex nihilo materiæ, concedo: ex nihilo formæ aliquid fit, diſtinguo; dummodo ſit aliquid in potentia, etiamſi non ſit in actu: Sic lignum eſt in potentia ignis. Deinde reſpondeo: Non poteſt aliquid fieri ex nihilo formæ, ſi forma debeat fieri per participationem, quomodo fiunt nouæ plantæ per inſitionem; quia pars plantæ inſeritur alteri: ſed ſi aliquid fiat per communicationem, ſcil. non dando partem, ſed excitando de nouo; quo modo ſigillum facit imaginem in cera, nihil, ſiue nullam partem ſui dando, ſed communicando; hoc modo aliquid fieri poteſt ex nihilo formæ actualis.

Digitized by Google

DE PRINCIPIIS generationis & compoſitionis ex doctrina vera Ariſtotelis.

Quid Principium, & quale.

PRincipia quæ nec ex ſeſe & aliis, ſed ex ipſis omnia fiunt. Aliud eſt fieri ex aliquo, aliud fieri ab aliquo, aliud eſt fieri de aliquo. Ab aliquo ſignificat cauſam efficientem: hoc modo à Deo facta ſunt principia mundi. De aliquo ſignificat materiam ſeu obiectum: hoc modo Phyſica eſt de Principiis. Fieri ex aliquo, ſignificat fieri tanquam ex parte. Principia igitur non fiunt ex aliis, quia aliàs non eſſent prima, id enim ex quo fierent, prius eſſet: nec fiunt ex ſe mutuo; materia enim omnium rerum cùm ſit prima omnium, nullo modo fit ex alio: Forma verò, v. gr. forma ignis fit quidem ex materia, ſed non tanquam ex parte: nec enim materia ignis eſt pars formæ ignis. Quanquam forma non tam fit quàm confit, id eſt ſolus Deus poteſt formam ſeparatam facere, vt forma Angeli ſeu Angelus fit: A natura autem aut ab arte non fiunt formæ ſeparatæ, ſed confiunt, id eſt, vnà cum toto fiunt.

Ex Principiis omnia fiunt, exceptis ipſiſ-

met principiis; ſicut cùm dicimus Omnia fiunt à Deo, excipitur Deus: Deus enim non fit à Deo.

Principiorum qualitas prima eſt quòd ſint contraria prima, ſiue oppoſita. Hæc eſt omnium Phyſicorum ſententia apud Ariſtotelem: Differentia tamen eſt, quòd aliqui contraria poſuerint vniuerſaliora, magíſque nota intellectui; alij particulariora magíſque nota ſenſui: vnde aliquid calidum & frigidum, alij humidum & ſiccum; alii par & impar; alii litem & amicitiam, ſiue ſeparationem & coniunctionem, alii magnum & paruum poſuerunt Principia. Qui Par & Impar, Litem & Amicitiam ſtatuunt, magis vniuerſalia ſtatuunt; Litem nimirum & Amicitiam tanquam actiua principia, par & Impar tanquam paſſiua, Item qui ſenſui notiora ſtatuunt, ponunt calidum & frigidum tanquam actiua, humidum & ſiccum tanquam paſſiua. probatur principia eſſe contraria: Quicquid mouetur, mutatur, generatur, corrumpitur, &c. mouetur & mutatur ex oppoſito in oppoſitum, ſed non ex quouis oppoſito, nec in quoduis oppoſitum, ſed ex contrario in contrarium, aut ſaltem priuatiuum, verbi gratia, albus fit ex non albo, ſed non fit ex quouis non albo: nec enim ex

Muſico fit albus, licèt Muſicus ſit non albus, ſed fit ex non albo contrario, aut priuatiuo, aut medio; v. gr. fit albus ex nigro, aut ex non albo priuatiuo, id eſt, quod habeat potentiam vt fiat album, aut & medio, v. gr. ex cæruleo alióque colore. Sic ex non homine fit homo: ſic homo corrumpitur in non hominem: ergo Principia ſunt contraria.

Obiic. Vnum principium non fit ex alio: ergo contrarium non fit ex contrario. Reſp. Vnum contrarium non fit ex alio ſecundùm eſſentiam, ſiue abſtractè; vt albedo non fit ex nigredine: ſed vnum contrarium fit ex alio ſecundùm eſſe ſiue in concreto, ſiue ratione materiæ & ſubiecti: fit enim nigrum ex albo, ſiue ex materia albi fit nigrũ, &c. Ita Albertus Magnus.

2. Qualitas. Principia ſemper manent, ſiue ſunt æterna, ſeu ingenerabilia & incorruptibilia. Hoc declaratur ex Ariſtot. Principium vnum eſt materia quę nunquam generatur, nunquam corrumpitur. Ex Ariſtot. Principia ſunt contraria, Priuatio nimirum, & Forma; vt in generatione hominis ex non homine fit homo. Iam igitur Priuatio ſemper manet, etiamſi fiat homo: non quidem manet priuatio illius hominis qui factus eſt; quia accedente formâ abit priuatio;

ſed manet priuatio alterius hominis, quia in mea materia priuatio eſt illius hominis qui ex mea materia fieri poteſt; vt ſi deuorarer ab Anthropophago, ex mea materia fieret Anthropophagus: ergo priuatio ſemper manet: forma verò corporeitatis ſaltem in materia ſemper manet, quia abeunte formâ meâ non abit à materia forma corporeitatis, ſed remanet: ergo forma ſemper manet.

Quot ſunt Principia rerum naturalium?

Non eſt vnum tantum, aut duo, nec ſunt infinita, ſed tria, nec plura tribus. Prob. 1. Si vnum Principium tantùm eſſet, omnes res eſſent vna res, vt oſtendi; quod falſum.

Obiic. Si ſint tria principia: ergo etiam eſt vnum. Reſp. Albertus Magnus tria præſupponere duo, & à duobus præſupponi vnum: ſed hoc non eſſe verum in genere Principiorum. Ratio eſt, Principia ſunt contraria, & principia ſolitaria non ſunt principia, ſed neceſſariò contraria ſunt in ſubiecto aliquo tanquam in materia: ergo vnum non poteſt eſſe princip um, ideóque & Ariſtot in plurali definiuit: præſertim verò principium cùm ſit alicuius rei motæ, vel moti principium, ideóque ſit in re mobili, & mobile ſit inter duo contraria, non poteſt eſſe vnum principium. Prob. non eſſe infinita tum rationibus ſuperioribus, tum quia

Muſico fit albus, licèt Muſicus ſit non albus, ſed fit ex non albo contrario, aut priuatiuo, aut medio; v. gr. fit albus ex nigro, aut ex non albo priuatiuo, id eſt, quod habeat potentiam vt fiat album, aut & medio, v. gr. ex cæruleo alióque colore. Sic ex non homine fit homo: ſic homo corrumpitur in non hominem: ergo Principia ſunt contraria.

Obiic. Vnum principium non fit ex alio: ergo contrarium non fit ex contrario. Reſp. Vnum contrarium non fit ex alio ſecundum eſſentiam, ſiue abſtractè; vt albedo non fit ex nigredine: ſed vnum contrarium fit ex alio ſecundùm eſſe ſiue in concreto, ſiue ratione materiæ & ſubiecti: fit enim nigrum ex albo, ſiue ex materia albi fit nigrũ, &c. Ita Albertus Magnus.

2. Qualitas. Principia ſemper manent, ſiue ſunt æterna, ſeu ingenerabilia & incorruptibilia. Hoc declaratur ex Ariſtot. Principium vnum eſt materia quæ nunquam generatur, nunquam corrumpitur. Ex Ariſtot. Principia ſunt contraria, Priuatio nimirum, & Forma; vt in generatione hominis ex non homine fit homo. Iam igitur Priuatio ſemper manet, etiamſi fiat homo: non quidem manet priuatio illius hominis qui factus eſt; quia accedente formâ abit priuatio;

ſed manet priuatio alterius hominis, quia in mea materia priuatio eſt illius hominis qui ex mea materia fieri poteſt; vt ſi deuorarer ab Anthropophago, ex mea materia fieret Anthropophagus: ergo priuatio ſemper manet: forma verò corporeitatis ſaltem in materia ſemper manet, quia abeunte formâ meâ non abit à materia forma corporeitatis, ſed remanet: ergo forma ſemper manet.

Quot ſunt Principia rerum naturalium?

Non eſt vnum tantum, aut duo, nec ſunt infinita, ſed tria, nec plura tribus. Prob. 1. Si vnum Principium tantùm eſſet, omnes res eſſent vna res, vt oſtendi; quod falſum.

Obiic. Si ſint tria principia: ergo etiam eſt vnum. Reſp. Albertus Magnus tria præſupponere duo, & à duobus præſupponi vnum: ſed hoc non eſſe verum in genere Principiorum. Ratio eſt, Principia ſunt contraria, & principia ſolitaria non ſunt principia, ſed neceſſariò contraria ſunt in ſubiecto aliquo tanquam in materia: ergo vnum non poteſt eſſe principium, ideóque & Ariſtot in plurali definiuit: præſertim verò principium cùm ſit alicuius rei motæ, vel moti principium, ideóque ſit in re mobili, & mobile ſit inter duo contraria, non poteſt eſſe vnum principium. Prob. non eſſe infinita tum rationibus ſuperioribus, tum quia

infinita non poſſent à nobis cognoſci.

Obiic. Deus eſt infinitus, & tamen cognoſcitur: ergo infinitum noſci poteſt. Reſpondet Albertus duplex eſſe Infinitum, vnum à negatione perficientis & determinantis, id eſt, quod à nullo loco, nullo tempore, nullo ingenio externo comprehendi, perfici, finiri poteſt; attamen ſeipſum finit, & hoc modo Deus eſt infinitus, qui tantus eſt quantum ſeipſum intelligit. Alterum infinitum eſt quod ſemper poteſt vlteriore loco, tempore, aut ingenio comprehendi, quo modo quantitas poteſt eſſe infinita, quia ſemper aliquid aliud intelligi poteſt in quantitate tali, & ſemper aliquid adiici, & ſemper perfici, quia ex Ariſt. Infinitum eſt extra quod ſemper eſt aliquid aliud accipere, & hoc infinitum eſt imperfectum, & fortaſſe intelligi poteſt. Pr. eſſe tria. Principia ſunt contraria, ſed non ex vno contrario alterum fit, nec in vno contrario alterum recipitur, nec per ſe ſubſtant: ergo opus eſt ſubiecto quod vtrique contrariorum ſubſtet, itaut in illo ſubiecto in quo eſt vnum contrarium fiat aliquid in eodem ſubiecto, nec pluribus opus eſt; v. gr. ſit albedo in ſubiecto, ex hoc ſubiecto albo fieri poteſt nigrum, nec pluribus opus eſt.

Tria hæc principia vocantur, Materia,

PRIVATIO, & FORMA.

Pr. 2. *Ex nihilo nihil fit:* ergo opus eſt materiâ. Id quod fit, non debet eſſe; ſi enim ſit ignis, non poteſt fieri, ergo vt fiat; opus eſt vt non ſit: nec tamen id omne quod non eſt, fieri poteſt. Etenim Muſicus eſt non albus, nec tamen ex non muſico poteſt fieri albus, ſed opus eſt vt non ſit, attamen habeat potentiam: ſicut album eſt non nigrum, & potentiam habet ad nigredinem, ideo priuatione opus eſt. Iam quod fit, vel de nouo fit per aliquid de nouo productum, vel tantùm de nouo apparet, vt Anaxagoras voluit. Sed hoc poſterius ſuprà refutatum eſt: ergo fit de nouo per aliquid aduenìens, quod vocamus FORMAM, ſiue nouam perfectionem, ſiue ἐνεργείαν, ſiue ἐνδελεχείαν; vt ignis fit per aduenientem de nouo perfectionem, ſeu formam ignis. Tria hæc ergo ſufficiant.

DE MATERIA.

Materia aliquando idem eſt ac obiectum alicuius facultatis: ſed apud Phyſicos triplex eſt Materia, *alterationis*, *compoſitionis*, & ſimul *alterationis* & *compoſitionis*. Panis, verb. grat. fit ex farina quæ eſt materia alterationis, nec tamen farina ingreditur compoſitionem panis, formaliter enim panis non eſt farina: Lapides ſunt materia compoſitionis in domo, etenim lapides

non debent alterari, aut aliter diſponi vt ingrediantur compoſitionem domus, vtraque hæc materia vocatur à Phyſicis materia ſecunda: ſed Materia prima de qua loquitur, eſt & alterationis, & compoſitionis ſimul; v. gr. cùm ex ligno fit ignis, certiſſimum eſt aliquid eſſe in igne quod fuit in ligno: illud itaque eſt materia compoſitionis tam in ligno quàm in igne: ſed multo aliter debet diſponi dum eſt in igne, quàm cùm eſt in ligno: habuit enim anteà diſpoſitiones & formam ligni. Iam verò diſpoſitionibus illis peremptis habet formam & diſpoſitiones ignis. Hæc Materia deſcribitur *Subiectum primum & vltimum omnium rerum naturalium*; vt meritò dicere poſſis eam in naturalibus eſſe α & ω. Exemplo declaratur facili: Materia prima non homo eſt, ſed ſubiectum formæ humanæ, & id ex quo homo factus eſt, & id in quo homo corrumpetur: ergo eſt primum, medium, & vltimum hominis. Iam verò cùm homo ſit factus ex ſanguine, materia prima non eſt ſanguis, ſed id ſubiectum ex quo factus eſt ſanguis, ſcil. cibus. Iam cibus non eſt materia prima, ſed id vnde factus cibus, &c. & hoc modo materia ſemper eſt primum. Iam homine corrupto cadauer non eſt materia, ſed id erit quod corrumpetur cadauer, v.

gr. cineres: ſed cineres non ſunt materia, ſed id in quod corrumpentur; v. gr. terra. Iam terra non eſt materia prima, ſed id quod reſtabit, terra corrupta; & ſic ſemper procedendo à parte *poſt* materia eſt vltimum, à parte *antè* materia primum.

Ariſtoteles ait per analogiam intelligi Materiam. Poſitâ igitur cerâ, quæ mille figuras recipit: ergo cera non eſt figura quadrata, rotunda, leonina, &c. ſed eſt ſubiectum omnium harum figurarum, & primum ante figuras, & poſtremum poſt figuras, licèt nunquam ſit ſine figura: ita Materia eſt ſubiectum primum & vltimum formarum, non ipſa forma, licèt nunquam ſit ſine formis. Poſito pariter Deo, hic non eſt homo, non arbor, non ſtella, non mundus, &c. ſed eſt id quod fecit hæc omnia, & quod erit poſt hæc omnia: ita materia non eſt homo, non cælum, non terra, &c. ſed eſt ſubiectum horum omnium.

Vtrum materia ſit eadem ſublunarium & cæleſtium; etenim cæleſtia ſunt immortalia, cætera mortalia: ergo mortale & immortale cùm diſtent plusquàm genere, non metaphyſico, quia ſublunaria & cæli ſunt in eodem prædicamento: ergo genere phyſico, id eſt materiâ different. Reſp. eſſe eandem materiam. Licèt enim cælum de fa-

cto non corrumpatur, ſicut nec beati moriuntur, ſunt tamen cæli mortales, ſicut & beati; ſed horum mortem impedit lumen gloriæ, illorum mortem impedit forma cælorum præſtātiſſima. Differunt pluſquam genere, id eſt, generatione, vt docet Ariſtot. in Metaphy. nec enim ex cæleſtibus mortalia, nec ex mortalibus cæleſtia generantur.

Obiic. Hominis forma eſt præſtantior quàm cæleſtis, nec impedit corruptionem. Reſpond. Duplex eſt præſtantia rei; vna, *in cauſando*, altera *in eſſendo*. cæli nobiliores ſunt, quia plura cauſant, homo verò quoad ſuam eſſentiam per quam rationalis eſt, præſtantior eſt. Sic aurum, quia igni reſiſtit, præſtantius eſt ipſo etiam homine: ſic Dei eſſentia præſtantiſſima eſt; nec tamen Deus poteſt eſſe cauſa Dei; ſicut arbor poteſt eſſe cauſa arboris.

De Privatione.

Obiic. Ariſtotelem fruſtrà poſuiſſe Priuationem tanquam non ens. Principium entis; quia non ens non poteſt eſſe cauſa, aut principium entis, ſiue illius quod eſt. Reſpondet Ariſtoteles ex non ente tanquam ente fieri aliquid; ſed ex non ente tanquam ex non ente non poſſe fieri aliquid; v. gr.

ex non albo quatenus eſt non album non poteſt fieri nigrum: ſed ex non albo quatenus eſt in meteria, ſiue quatenus præſupponit ſubiectum, poteſt fieri nigrum.

Sed mirabilis ſolutio eſt Ariſtotelis. ait enim ex non ente, quatenus eſt non ens, ſiue ex nihilo quatenus eſt nihil, poſſe fieri aliquid. Nam ſupponendum eſt ex non igne fieri ignem: quatenus verò & quamdiu non ignis eſt non ignis, non poteſt fieri aliquid, ſiue non poteſt fieri ignis: ſed quando non ignis abit, ſiue deſinit eſſe non ignis, fit aliquid. Nec enim quamdiu manet in ſubiecto priuatio ignis, poteſt fieri ignis, ſed quando priuatio ignis deſinit eſſe, ſiue cùm priuatio ignis non amplius eſt, fiet ignis: ergo ex non igne quatenus non eſt ignis, ſiue ex non ente quatenus eſt non ens, fiet aliquid.

Obiic. A priuatione non datur regreſſus ad habitum, in Logica: ergo à priuatione non poteſt fieri aliqua forma naturalis. Reſp. Duplex eſt Priuatio: vna formæ præteritæ, à qua non datur regreſſus; vt ſi quis ſit mortuus, habet priuationem vitæ præteritæ, ad quam non eſt regreſſus naturaliter: ſed eſt alia priuatio formæ future, ſeu poſſibilis, & ad hanc datur regreſſus, vel potius greſſus: vt hoc lignum habet priuationem ligni futuri aut poſſibilis, ideó-

cto non corrumpatur, ſicut nec beati moriuntur, ſunt tamen cæli mortales, ſicut & beati; ſed horum mortem impedit lumen gloriæ, illorum mortem impedit forma cælorum præſtātiſſima. Differunt pluſquam genere, id eſt, generatione, vt docet Ariſtot. in Metaphy. nec enim ex cæleſtibus mortalia, nec ex mortalibus cæleſtia generantur.

Obiic. Hominis forma eſt præſtantior quàm cæleſtis, nec impedit corruptionem. Reſpond. Duplex eſt præſtantia rei; vna, *in cauſando*, altera *in eſſendo*. cæli nobiliores ſunt, quia plura cauſant, homo verò quoad ſuam eſſentiam per quam rationalis eſt, præſtantior eſt. Sic aurum, quia igni reſiſtit, præſtantius eſt ipſo etiam homine: ſic Dei eſſentia præſtantiſſima eſt; nec tamen Deus poteſt eſſe cauſa Dei, ſicut arbor poteſt eſſe cauſa arboris.

De Privatione.

Obiic. Ariſtotelem fruſtrà poſuiſſe Priuationem tanquam non ens. Principium entis; quia non ens non poteſt eſſe cauſa, aut principium entis, ſiue, illius quod eſt. Reſpondet Ariſtoteles ex non ente tanquam ente fieri aliquid, ſed ex non ente tanquam ex non ente non poſſe fieri aliquid; v. gr.

ex non albo quatenus eſt non album non poteſt fieri nigrum: ſed ex non albo quatenus eſt in materia, ſiue quatenus præſupponit ſubiectum, poteſt fieri nigrum.

Sed mirabilis ſolutio eſt Ariſtotelis. ait enim ex non ente, quatenus eſt non ens, ſiue ex nihilo quatenus eſt nihil, poſſe fieri aliquid. Nam ſupponendum eſt ex non igne fieri ignem: quatenus verò & quamdiu non ignis eſt non ignis, non poteſt fieri aliquid, ſiue non poteſt fieri ignis: ſed quando non ignis abit, ſiue definit eſſe non ignis, fit aliquid. Nec enim quamdiu manet in ſubiecto priuatio ignis, poteſt fieri ignis, ſed quando priuatio ignis deſinit eſſe, ſiue cùm priuatio ignis non amplius eſt, fiet ignis: ergo ex non igne quatenus non eſt ignis, ſiue ex non ente quatenus eſt non ens, fiet aliquid.

Obiic. A priuatione non datur regreſſus ad habitum, in Logica: ergo à priuatione non poteſt fieri aliqua forma naturalis. Reſp. Duplex eſt Priuatio: vna formæ præteritæ, à qua non datur regreſſus; vt ſi quis ſit mortuus, habet priuationem vitæ præteritæ, ad quam non eſt regreſſus naturaliter: ſed eſt alia priuatio formæ futuræ, ſeu poſſibilis, & ad hanc datur regreſſus, vel potius greſſus: vt hoc lignum habet priuationem ligni futuri aut poſſibilis, ideò-

que ex hac priuatione poteſt fieri aliquid? Priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto apto. Licèt enim nunquam poſſit aliquid ex ſubiecto naturaliter fieri, nihilominus tamen dummodo ſubiectum aptum eſſe videatur, dicitur habere priuationem, v. gr. nunquam ex cælo poterit fieri elementum: quia tamen cæli materia apta eſt vt inde fiat elementum, rectè dicunt Phyſici in cælo eſſe priuationẽ.

De Forma.

Forma communiter ſumitur pro externa corporis configuratione. Sed Phyſici ſumunt pro eo principio à quo externa illa forma ſeu figura prodit: ſic vulgares formoſum dicunt ab externa forma ſeu pulchritudine & figura: ſed Phyſici formam ſtatuũt eam à qua externa illa figura prodit. Forma eſt prima rei naturalis perfectio ſpecifica, vt cur arbor ſit arbor, cauſa eſt forma illa interna.

Forma eſt id quod dat eſſe; homo enim non dicitur homo, nec habet eſſe hominis diſtinctum niſi à forma, ſeu anima humana.

Formam dicunt omnes educi ex potentia materiæ, hoc eſt, omnis forma excitatur & fit de nouo ex materia apta. Vt enim ſigillo excitatur ex cera ſimilis ſigilli figura, ita ex materia fit noua forma, v. gr. ex ligno fit forma ignis.

Forma eſt prima & poſtrema omnium: poſtrema quidem ordine & naturâ exequutionis, ſed prima ordine & naturâ intentionis: Sicut enim ſtudium, v. gr. eſt ante ſcientiam ordine exequutionis, & ſcientia eſt prior ſtudio ordine intentionis? ita & forma partim eſt poſterior, partim prior.

Forma triplex eſt, prima ab ipſo Deo infunditur tanquam lumen, vt eſt anima rationalis: alia fit per participationem, vt cum ex ſurculo arboris fit alia arbor: tertia eſt per communicationem, vt cum ab igne fit ignis.

Forma ex nihilo fit, & ex aliquo: ex nihilo quidem formaliter, quia ante formam nihil præfuit, attamen ex aliquo materialiter, quia natura non poteſt facere formam niſi ex aliqua materia.

CAPVT SECVNDVM.

De cauſis rerum naturalium.

CAVSAS tractant quatenus ſunt communiter ipſi Metaphyſici; omne enim ens vel eſt cauſa, vel cauſatum. Eaſdem tractant Dialectici quatenus ſunt cauſæ cognitionum, Quæuis autem ſcientia tractat primas cauſas, id eſt, propinquiſſi-

mas, ſpecificas, & proprias ſui obiecti. Phyſicus ergo tractat eas vt ſunt cauſæ motus in corpore naturali, vtrum cauſa, & quid ſit.

CAVSA eſt. Nam cùm res naturales fieri & moueri noſcamus, nihil autem à ſeipſo moueatur, nec fiat, & cùm à nihilo non poſſit aliquid fieri aut moueri, neceſſe eſt ab alio fiat, & moueatur; hoc aliud eſt cauſa.

CAVSA deſcribitur Phyſica, quæ dat rei *moueri*, & *eſſe*; ſiue cauſa Phyſica eſt à qua res in eſſe & fieri dependet.

CAVSA enim abſolutè ſpectat ad Metaphyſicum, ſed prout eſt cauſa rei mobilis, ſiue vt res ſit, mouetur, &c, ſpectat ad Phyſicum: vnde Phyſicus omnem cauſam per motum definit. Materia igitur ſic deſcribitur, *Ex qua aliquid fit:* EFFICIENS, *à quo aliquid fit:* FORMA, *per quam aliquid fit:* FINIS *cuius gratia aliquid fit:* In quibus omnibus ſignificatur motus.

Vtrum ſint cauſæ cauſarum, & diſtinctio ex Principiis.

MATERIA nullam habet aliam materiam ex qua fiat: nec FORMA habet priorem, nec FINIS alium, nec EFFICIENS. Nam cauſæ conſiderantur primæ naturales in eo genere. Verum quidem eſt quod in alio

alio genere cauſæ vna habeat cauſam aliam. Sic Finis eſt cauſa Efficientis quatenus mouet Efficiens ad mouendum: Efficiens verò eſt cauſa Finis quatenus eſſe producit & exiſtere; vt, ſcientia eſt cauſa cur ſtudeas, tu verò es cauſa ſcientiæ quatenus ſcientiam producis: ſic materia eſt cauſa Formæ eam ſuſtinens; Forma eſt cauſa materiæ eam perficiens.

Omnis Cauſa eſt principium, ſed non è contra. Ad Principium ſatis eſt vt aliquid ab ipſo tanquam primo & intrinſeco incipiat, ſed ad Cauſam non eſt neceſſarium vt ſit intrìnſeca: quia Efficiens & Finis non ſunt interni neceſſariò. Deinde Cauſa debet eſſe res aliqua neceſſariò, ſed ad Principium non requiritur vt ſit res, ſeu ens, quandoquidem Priuatio cenſeatur non ens, & tamen ſit principium.

Per quid Cauſa eſt cauſa.

Vt album eſt per albedinem, homo per humanitatem; ita cauſa eſt per cauſalitatem.

Cauſalitas non eſt actio. Ratio eſt: Actio eſt effectus: ſed effectus non eſt cauſa cur agat cauſa: ergo actio non eſt cauſalitas. Cauſalitas ergo eſt modus per quem, vt ſic dicam, à potentia erumpit in actum, ſiue cum omnibus poſitis ad agendum cauſa ſit actualiter cauſa; v. gr. calefactio ignis

non eſt cauſalitas, quandoquidem ſit effe-ctus, ſed modus ille quo calefactio fit. Fit autem non per aliam actionem: nam daretur progreſſus in infinitum, ſed per emanationem.

Quot ſunt genera cauſarum naturalium?

Ariſtoteles quatuor, Plato quinque recenſet. Plato approbandus eſt. Sunt autem MATERIA, FORMA, EFFICIENS; FINIS, & EXEMPLAR, ſeu IDEA. Ita probat Auicebron: Quidquid cauſa eſt, in effectum influit, ſiue ipſi dat moueri aut eſſe. Iam quod dat eſſe vel eſt internum, vel externum: Si eſt externum, vel eſt Exequens ſeu agens, ſcil. Efficiens, vel eſt per intentionem, ſeu intentum, & eſt finis: vel eſt per reſpectum ſiue imitationem paſſiuam, & eſt Exemplar. Si eſt internum aliquid, vel eſt potentia, ſc. Materia, vel eſt actus, ſiue perfectio, ſc. Forma. Obiic. IDEA tantùm eſt in rebus artificialibus, res autem naturales non ſunt artificiales: ergo. Reſp. ad min. Res naturales eſſe artificiales reſpectu Dei, ſiue artis diuinæ. Deinde ſunt artificiales reſpectu intelligentiarum mouentium cælos, in quibus, vt ait Albertus magnus, formæ omnium rerum ſublunarium ſunt quas efficiunt applicando & mouendo variè cælos, quemadmodum homines habent

ideam domus efficiendæ, & applicando actiua paſſiuis eam efficiunt. Reſpond. 2. ad maior. negando. Datur enim idea naturalis, ad quam reſpiciens naturale agens agit. Nam non eſt maior ratio cur artifex ad ſimilitudinem formæ artificialis, eam nimirum imitando aliquid agat, quàm quòd naturale agens ad ſimilitudinem ſuæ formæ, eam nimirum imitando non aliquid agat; vt ignis producit non tantùm ignem; ſed ſibi ſimilem, ideóque ſuam formam imitatur. In hoc tamen differentia eſt, quòd artificialia agant per cognitionem, naturalia verò agant ſine cognitione. Id tamen examinabitur potiſſimum ex Campanella de ſenſu rerum.

Qualitates quædam cauſarum.

Prima. Cauſa neceſſariò eſt ens: Nemo enim dat quod non habet: Cauſa dat eſſe: ergo habet eſſe.

2. Cauſa non eſt relatum ad effectum; nam relatio ſequitur ad ipſam cauſam, ſiue præſupponit cauſam.

3. Cauſa eſt prima, idem non prima, quia remotiſſima, & vniuerſaliſſima; hoc n. modo tractat Metaphyſicus: ſed prima, quia proxima, ſpecifica & reciproca.

De Cauſa Exemplari Naturali.

Exemplar ſiue Idea generaliter deſcribitur

Forma externa, ad cuius imitationem aut ſimilitudinem aliquid fit.

Idea artificialis deſcribitur. *Forma, ad cuius imitationem aliquid fit, ſed cognoſcendo:* Artifex enim ideam quam cognoſcit imitatur, vt architectus domum mentalem. Idea naturalis eſt *Forma externa, quam naturale agens imitatur,* ſiue ad cuius ſimilitudinem aliquid facit, etiamſi non cognoſcat; vt cùm ignis facit ignem ad ſimilitudinem ſuam facit, etiamſi non cognoſcat.

Idea eſt duplex, præſertim in artificialibus, formalis nimirum, & obiectiua. Prior eſt Imago ſeu ſpecies, per quam repræſentatur obiectum.

Idea obiectiua eſt obiectum ideæ formalis; vt Architectus habet in mente ideam domus per quam repræſentatur ipſa domus obiectiua.

Idea formalis non eſt cauſa, ſed idea obiectiua, nec enim architectus imitatur domum quam habet, ſed illam quæ per imaginem in mente repræſentatur.

Cauſalitas ideæ naturalis eſt imitatio paſſiua, non actiua: id eſt, vt apud Latinos, aliud eſt amor meus & amor mei, quia prior ſignificat actionem meam, poſterior verò paſſionem: ita Idea formalis eſt actiua, per quam aliquid imitatur. Idea obiectiua eſt

quam imitamur, ſiue vt ſic dicam, quæ ſe ſinit imitari.

Idea naturalis vel eſt analoga, vel vniuoca. Cùm ignis facit ignem ſibi ſimilem, eſt idea vniuoca: cùm verò Sol facit calorem, non eſt in Sole calor vniuocus, ſed tantùm analogus, quia in Sole non eſt formaliter calor.

De Cauſa Materiali.

Materia eſt Principium, & Cauſa, quatenus principium eſt, ſuprà declaratum eſt, quatenus cauſa declarabitur.

MATERIA vt cauſa eſt ſubiectum ex quo aliquid fit. Sed materia eſt ſubiectum ex quo inexiſtente fit aliquid. Etenim ex Priuatione etiam fit aliquid, ſed Priuatio non exiſtit in re facta: Materia autem exiſtit. Præterea aliquid ex alio fit non vt exiſtit, in re facta, ſed ratione ordinis. Sic ex puero fit adoleſcens, ex matutino tempore meridies.

MATERIA vel eſt ſubiectum primum, vel ſecundum: prius eſt ratione formarum ſubſtantialium, poſterius eſt ratione accidentium ſeu formarum accidentalium: Etenim accidentia corporalia non recipiuntur in pura materia, ſed in materia quatenus habet formam ſubſtantialem; vt riſus ſubiectum non eſt materia pura, ſed quatenus

habet formam ſubſtantialem. MATERIA igitur reſpectu formæ ſubſtantialis eſt quadruplex, ex Alberto. Prima eſt quæ recipit formam immediatè abſque diſpoſitione; quomodo forma elementorum immediatè coniungitur ipſi materiæ. 2. eſt quæ fit per coniunctionem diuerſorum; quo modo meteora ex diuerſis coniunguntur: ſicut qui diceret ciuitatem ex diuerſis ædibus coniungi ad vnum aliquem finem. 3. eſt per coniunctionem & compoſitionem, quò modo mineralia, lapides coniunguntur per compoſitionem & commixtionem; ſicut, v. gr. domus ex diuerſis lapidibus, &c. componitur. 4. eſt per complexionem, ſeu conuerſionem, & alterationem, v. gr. in Theriaca varia coniunguntur priuſquam fiat Theriaca: opus eſt vt res alterentur, & quædam virtus noua exurgat, ſiue noua qualitas, ideóque tempore opus eſt: ita in plantis & animalibus exurgit ex commixtione elementorum noua quædam qualitas in qua comprehenduntur virtutes & qualitates eorum ex quibus res facta & compoſita eſt.

Materia non tam eſt materia formæ & compoſiti quàm materia mobilis reſpectu mouentis ſeu motoris. Sic ſublunaria Ariſtoteli ſunt materia cæleſtium: Sic Ariſto-

teles ait inferiora gubernari à ſuperioribus, & inferiora eſſe velut materiam in ſuperioribus, in forma & cauſa formali.

De Cauſa Formali.

FORMA eſt Principium quatenus eſt primum: eſt verò Cauſa quatenus per illam fit, aut eſt res naturalis tanquam effectus. Vocatur *Forma, Figura, Exemplum, Species,* apud Albertum: Forma quidem, quatenus totum permeat, penetrat, perficit, & format corpus naturale: Figura autem quatenus exteriora ſecundùm quantitatem, & angulos figurat & ordinat: quamuis nulla ſit figura ſpiritalium formarum, quia nulla eſt in his quantitas: In corporibus autem non viuentibus nulla eſt certa figura, quemadmodum eſt in corporibus viuentibus. Eſt enim certum vitæ ſignum in corporibus vbi certa eſt figura. Vocatur Exemplum vel reſpectu exemplaris ſeu Ideæ Diuinæ, aut etiam reſpectu exẽplaris ſeu Ideæ naturalis. Vocatur Species, quia vel eſt cauſa talis effectus diuerſi ſpecie, vt anima cauſa riſibilitatis quæ eſt effectus ſpecie diuerſus: vel quia eſt principiũ proprium & diſtinctiuum ſpeciei; vt anima humana ſpeciei humanæ.

Forma naturalis deſcribitur, *per quam res naturalis fit & eſt quæ rei dat eſſe.* Ratio quæ

quidquid erat eſſe, ſiue ratio quæ erat eſſe quid, id eſt, omne corpus naturale eſt per formam, non per materiã, licèt materia neceſſariò requiratur; vt homo eſt homo non per materiam, ſed per animam, licèt materia requiratur. Ratio eſt: Materia ex ſe non magis eſt homo quàm homo, aut aſinus, aut cadauer, quandoquidem ex ſe ſit indifferens, vel ad eſſe humanum, vel aſininum, &c.

A Forma abſolutè res vocatur non talis aut qualis, ſiue nomine adiectiuo: ſed vocatur abſolutè quid, ſiue per nomen ſubſtantiuum; vt homo vocatur homo per formam: ſic vocatur albedo albedo per formam.

Notandum tamen eſt duplicem eſſe formam, vnam ſubſtantialem, aliam accidentalem. Subſtantialis duplex eſt, vna quæ eſt ſubſtantialis & ſimul ſubſtantia: alia ſubſtantialis, quæ non eſt ſubſtantia: Item Forma accidentalis duplex, vna accidentalis & accidens, alia accidentalis non tamen accidens. Ita Albertus. Res exemplis clara erit: Subſtantialis forma eſt & ſimul ſubſtantia, quæ reverâ eſt ſubſtantia; & habet modum ſignificandi & prædicandi ſubſtantialem; vt anima humana forma ſubſtantialis eſt, & non ſubſtantia,

quæ habet modum quidem prædicandi ſubſtantialem, ſcil. in quæſtione *quid*; re verâ tamen eſt accidens vt color; dicitur in quid de albedine, & ſic eſt forma ſubſtantialis, reuerâ tamen eſt accidens color; ideóque Albertus monet ſubſtantiale eſſe medium inter ſubſtantiam & accidens. Accidentale quod eſt accidens, v. gr. album quod eſt accidens, & modum habet prædicandi accidentalem in *quale*. Accidentale verò quod tamen non eſt accidens, eſt inferius reſpectu ſuperiorum, vt Socrates reſpectu hominis. Quia verò Forma naturalis per motum ſeu mutationem acquiritur, ideò habet triplex eſſe, ſeu triplicem ſtatum, vnum in potentia, ſiue ſub priuatione: ſic in re non calida eſt calor: alterum eſſe habet dum fit, vt cùm res non calida calefit; & ſic partim eſt in potentia, partim in actu. 3. ſtatum habet in termino, ſiue in eſſe omnino actuali & perfecto. Cùm Ariſtoteles ait formam eſſe rationem quæ erat quo quid erat eſſe, intelligitur quod forma ſit ante eſſe, ſiue quod ſit eſſentia præcedens ipſum eſſe, ſiue exiſtere, ſiue antequam det eſſe ſpecificum; ideó que Ariſtoteles ait quòd quid erat eſſe, non autem quòd quid eſt eſſe, vt intelligatur prioritas illa, ait Albertus M.

Forma duplex: vna Prima, alia Com-

poſita, Prima eſt ſimplex; Sicut enim in figuris vna prior eſt, & ſimplex; verb. gr. triangulus: alia eſt compoſita, vt quadrangulus, in quo continetur triangulus: ita vna forma eſt ſimplex, v. gr. anima vegetatiua in ratione animæ: anima verò rationalis compoſita eſt quatenus virtute complectitur animæ vegetatiuæ & ſenſitiuæ virtutes.

De Cauſa finali.

FINIS non eſt idem ac Terminus, ſeu Vltimum. Nam apud Ariſtotelem mors eſt terminus, ſeu vltimum hominis, & vltima linea rerum; non tamen eſt finis: nam finis idem eſt ac perfectio: mors autem non perficit hominem, ſed deficit ab homine.

FINIS eſt Phyſicus, cuius gratiâ aliquid fit.

Finis eſt duplex, vel *actionis*, vel *intentionis*; v. gr. agricolæ finis actionis eſt ſparſio ſeminis in terram. Finis *intentionis* eſt habere frumentum, ſicut finis Medici quoad operationem eſt ſumptio medicamenti: Finis autem intentionis eſt ſanitas.

Finis eſt prima cauſarum; antequam enim forma inducatur in materiam, opus eſt Efficiente; & antequam efficiens agat, opus eſt fine mouente ad agendum.

Natura nunquam aberrat à fine ſuo niſi

impediatur, ſed habet verum finem, id eſt, bonum, ſiue ſimilem bono. Sed homines ratione agentes aliquando nec verum, nec ſimilem vero aut bono habent finem, ſed tantùm finem apparentem, ſiue bonum apparens.

Certum eſt poſſe impediri naturam, & ſic poſſe fieri monſtra: nihilominus tamen cùm hoc non ſit ordinarium, à potiori fit denominatio. De Monſtris autem poſteà.

De Cauſa Efficiente.

Efficiens Phyſicum eſt à quo primum principium motus & quietis.

Nota. Duplex eſt motus phyſicus: Vnus motus metaphoricus, id eſt, deſiderij & amoris, quo modo finis mouet cauſam efficientem; v. gr. ſtudioſum mouet ſapientia ad ſtudendum, id eſt, incitat ad amorem & deſiderium; quomodo mouet finis, & eſt primum principium motus. Alius motus eſt realis, & verè alterans, & producens per contactum; hoc modo Efficiens eſt cauſa motus & quietis: v. gr. homo cùm ſtudet per verum motum efficit ſcientiam.

Efficiens vel eſt naturale, vel morale: de qua re ſuprà.

Efficiens vel eſt analogum, vel vniuocũ. Priùs perfectiori modo habet in ſe formam

mam ſui effectus: poſterius habet formam effectus formaliter; vt ſol habet calorem in ſe, id eſt, analogicè, ſiue perfectiori modo, ignis verò habet calorem vniuocè, id eſt, formaliter.

Efficiens eſt triplex. Præparans, Adiuuans, & Perficiens. Eſt autem Perficiens quod ipſam formam realiter, formalitérque introducit; vt cùm ignis introducit calorem. Eſt autem Diſponens ſeu præparans, quod qualitates introducit neceſſarias; vt cùm ignis ante calorem exſiccat. Adiuuans verò eſt quòd conditiones aliquas neceſſarias affert, vt cùm lignum appropinquatur igni.

CAPVT TERTIVM.

De Cauſis per accidens; vbi & de MONSTRIS.

CAVSA per ſe eſt quæ propriâ vi & virtute & intendit & vult effectum, vt eſt cauſa moralis, vel quæ propriâ virtute & nouit, & vult, & poteſt facere effectum, vt eſt cauſa naturalis.

Cauſa per accidens eſt vel quæ propter adiunctum aliquid efficit effectum, vel propter effectum alij effectui coniunctum dicitur aliquid agere. Exemplum prioris eſt;

Muſicus ædificat per accidens domum, quia non ædificat vt Muſicus, ſed vt Muſico coniunctus eſt architectus : ergo Muſicus per accidens ædificat, id eſt, per architectum, quatenus coniunctus eſt Muſico. Exemplum poſterioris eſt, Qui fodit terram, & inuenit theſaurum, eſt per accidens, quatenus inuentio theſauri non coniungitur per ſe foſſioni terræ. Cùm igitur in rebus naturalibus ſint cauſæ per accidens & priori & poſteriori modo, itémque effectus per accidens, de illis dicendum.

Cauſa per accidens in Phyſicis eſt quæ effectum facit præter intentionem; vt qui adit forum vt emat, & inuenit amicum: nec enim erat intentio inuenire amicum. Quòd ſi aliquid fiat præter intentionem agentis rationalis & liberi, vt hominis, vocatur fortuna : ſi verò aliquid fiat præter intentionem agentis naturalis, vocatur caſus; vt ſi lapis deſcendens vt acquirat centrum, aliquem tamen occidat, vocatur caſus.

Verum eſt quod nulla fortuna, nec caſus reſpectu primi agentis ſiue Dei, quia nihil fit præter ipſius intentionem. Verum etiam eſt in rebus naturalibus nih fieri caſu, aut fortunâ reſpectu cælorum, quia nihil fit ſine ipſorum intentione & concurſu generali.

Obic. Si nihil fit præter intentionem Dei, ſequitur Deum eſſe cauſam peccati: nam monſtrum eſt peccatum naturæ, & monſtrum fit caſu: ergo ſi monſtrum non fiat præter intentionem Dei, Deus eſt cauſa monſtri, adeóque peccati. Reſpon. Monſtrum & peccatum reſpectu naturæ particularis aberrantis à ſuo fine, propterea quòd impediatur, ſed non eſt peccatum reſpectu naturæ vniuerſalis, ſiue Dei.

Declarant apud Albertum authores hoc exemplo, nihil reſpectu Dei caſu fieri. Deus eſt vt paterfamilias, cuius ſi armenta in foueam decidiſſent, ſeparatim ſeruos alloquitur, & mittit ad foueam, ita vt nullus aliquid de conſeruo ſciat: certè ſerui cùm circa foueam mutuò occurrunt, fortuitò hoc dicitur factum reſpectu ſeruorum, ſed non eſt præter intentionem patriſfamilias: ita de caſu reſpectu particularis loquendum eſt; fit enim ex fortuito occurſu cauſarum particularium non intendentium, ſed non fit præter intentionem Dei.

Alio exemplo elegantiſſimè Boëtius lib. 5. de Conſolat. Philoſoph. monſtrat.

Rupis Achæmeniæ ſcopulis, vbi verſa ſequentum.
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax,
Tigris & Euphrates vno ſe fonte reſoluunt

Et mox abiunctis diſſociantur aquis.
Si coëant, curſúmque iterum reuocentur in vnum,
Confluat alterni quòd trahit vnda vadi.
Conueniant puppes; & vulſi flumine trunci,
Miſtáque fortuitos implicet vnda modos:
Quos tamen ipſa vagos terræ decliuia caſus
Gurgitis, & lapſi defluus ordo regit.
Sic quæ permiſſis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frænos, ipſáque lege meat.

Differentia eſt inter Cauſam per ſe, Cauſam per accidens, & Occaſionem.| Cauſa per ſe determinata eſt ad talem effectum. Cauſa per accidens effectum habet ad quem non eſt determinata. Occaſio (inquit Albertus Magnus) cùm aliquid ob negligentiam, aut abſentiam fit, aut cùm propter abſentiam aut negligentiam naturæ fit naufragium. Eſt ergo fortuna & caſus cauſa per accidens. Nihilominus aliquando Fortuna & Caſus ſumuntur pro effectibus, vt dicimus, eſt magnum infortunium: ſed cùm dicimus à fortuna, aut caſu hoc occidit, ſumitur pro cauſa.

Nota. Aliud eſt fruſtrà fieri, aliud eſt vanum, aliud eſt otioſum. Fruſtrà fit cùm finem ad quem actio ex ſua natura determinatur

non aſſequimur; v. gr. ſi medicamentum ſumamus vt ſani fiamus, non tamen ſanamur, fruſtrà eſt. Dixi (ad quem actio ex ſua natura terminatur) aliàs enim ſi non aſſequamur finem ad quem actio non terminatur, non dicimus fruſtrà eſſe, ſed potiùs ſtulti; verb. gr. volo ambulare vt cælum cadat, hæc actio non eſt fruſtrà, ſed eſt ſtulta.

VANVM eſt cuius nulla vtilitas, aut nocumentum, vt ſæpe, v. gr. mouere digitum otioſum eſt, & ipſum opus quod ſignificat vanitatem operantis. Ita Albertus.

Dubium fuit antiquorum apud Ariſtotelem, vtrùm cælum, adeóque mundus fuerit factus caſu, ſeu fortuitò.

Ariſtoteles Chriſtianiſſimè, (vt ſic dicam) monſtrat, ſi Mundus ſit factus caſu, quòd ſit factus à Deo, hoc modo: Sicut ens per ſe prius eſt quàm ens per accidens, & ens per ſe præſupponitur; ita cauſa per ſe prior eſt quàm cauſa per acidens; vt ſi Muſicus per accidens ædificat, certè ædificator per ſe ædificat, ſiue muſicus vt ædificet præſupponit quòd ſit architectus; ita ſi mundus factus eſt caſu, qui eſt cauſa per accidens, erit aliqua cauſa prior & per ſe quæ mundum fecerit, & illa cauſa eſt Deus. Boëtius verò monſtrat ſi mundus

factus

factus ſit caſu, quòd non ſit factus. Nam ſicut ex nihilo nihil fit, ita de nihilo ſeu à nihilo non poteſt aliquid fieri: ergo caſus ſi non reuocetur ad cauſam per ſe nihil omninò eſt: ergo mundus non potuit caſu fieri.

Fortvna & Casvs nunquam locum habent in cauſis quæ ſemper eodem modo agunt, nec impediri poſſunt, vt in cælis, in eſſentiis producentibus ſuas proprietates: nec locum habent in iis cauſis quæ frequenter ita agunt, v. gr. quòd ſimile producat ſimile, hoc enim eſt naturale, cùm aliquid vel ſemper ita agat. Nec locum habet caſus in iis quæ ſunt contingentia ad vtrumlibet, id eſt, æqualiter, vel hoc vel illo modo fiunt; v. gr. quòd pluat die veneris, quia æqualiter pluit, vel non pluit: ſed tantùm locum habent in iis quæ rarò eueniunt, v. gr. quòd homo naſcatur biceps, ſedigitus, aut colore viridi, vt quondam in Anglia frater & ſoror, aut naſcatur capripes, vt illi quos vocauerunt Faunos. Ratio eſt: Celeſtis materia ſemper obedit, ideóque nullum impedimentum eſt: Sed ſublunaris quæ determinata eſt, obedit quidem frequenter, licèt aliquando impediri poſſit propter priuationem & aptitudinem ad alias formas. Sed ea quę eis eueniunt ad vtrum-

libet indeterminata ſunt, tam ad hoc, quàm ad illud, id eſt, quòd vtrumque naturaliter euenit, ſed quòd rarò eueniunt ex impedimento, ideóque caſu aut fortuitò eueniunt.

Quemadmodum ſunt peccata artis, ita & peccata naturæ, ſcil. Monſtra.

Tam Ars quàm Natura peccat vel ratione materiæ, vel ratione alicuius principij deficientis in actione: vt ſcriba peccat, ſi charta ſit bibula, propter materiam enim non recta fit litera: vel cùm aliquid deeſt ipſi ſcribæ: ſiue non ſufficiens eſt aliqua ſcribere. Pariter monſtra fiunt vel propter defectum virtutis agentis, vel propter materiam. Quatuor tamen ſunt genera monſtrorum: vel enim propter materiæ abundantiam, vel propter defectum materiæ, vel propter qualitates malignas, aut non proportionatas, vel propter malitiam continentis.

Secundùm materiæ defectum aut abundtiam fiunt monſtra, vel ſecundùm magnitudinem totam, vt gigas: vel partem, vt ſi quis ingenti ſit naſo: vel ſecundùm paruitatem totam, vt Pigmæus: vel ſecundum partem; vt ſi quis nimis paruulis ſit ocellis: vel ſecundùm numerum abundantem, vt ſedigitus; aut deficientem, vt vnimanus. Hoc autem omne accidit propter imbecillitatem

virtutis formatricis, vel propter materiam ipſam, vel etiam propter robur virtutis formatricis.

Propter qualitatũ malignitatem, vt propter nimium calorem nimis macilenti fiunt: propter nimiam humiditatem nimis obeſi & pingues. Quòd ſi vtraque qualitas abundet, & virtus ſit robuſta, fiunt Hermaphroditæ.

Propter malitiam continentis, vel propter vterum diſtentum aut nimis anguſtas cellulas, aut propter pelliculas ſecundinas inuoluentes fœtum cùm diſiũguntur, aut cõiungſitur propter ipſas conſtellationes; quo modo naſcuntur figurâ mõſtruosâ. Ait enim Ptolomæus ſub quibuſdam cõſtellationibus vix poſſe naſci figuram humanam. Sunt autem monſtra tam in plantis quàm in animalibus, ſed magis conſpicua in animalibus, atque adeò frequentiora; quia cùm animalia ſint perfectiora, plura requirunt. Itaque facilè aliquod principium deficere poteſt.

DE FATO.

Quia Fortuna, Caſus, & Monſtra ſunt in rebus contingentibus, nihil videtur eſſe Fatum, quod videtur neceſſitatem rebus imponere: aut ſi Fatum eſt, nullum eſt contingens, nulla fortuna, aut caſus.

Diſtinctio eſt inter Fatum & Prouiden-

tiam, quòd prima ad omnia ſe extendat, etiam ad ea quæ fato non ſubiacent, vt ſunt res neceſſariæ. Fatum autem eſt inhærens rebus mobilibus, ſeu mutabilibus, diſpoſitio per quam diuina prouidentia quæuis ſuis nectit ordinibus, ait Boëtius.

Eſt igitur Prouidentia in mente diuina tanquam regula, centrum, forma artificis omnia prȩuidens: Fatum verò eſt velut lex & edictum. Eſt enim Fatum quod Déus fatus eſt: ideóque eſt connexio rerum mobilium cum ipſis immobilibus, & eſt quaſi vinculum quo res mobiles ne diſſipentur cum immobilibus connectuntut. Hoc modo res naturales elementis, elementa cælis, cæli motoribus Angelis, & hi ipſi Deo immobiliſſimo connectuntur: & quemadmodum lineȩ cùm in circulo, quo magis diſtant à centro, eo magis mouentur, & quo propinquiores ſunt centro, eo minùs mouentur, extremæ tamen lineæ cum interioribus, & hæ cum centro immobili connectuntur. Ita res ſublunares mutabiliſſimæ minùs mutabilibus elementis; & hæc cælis minus adhuc mutabilibus, & Angelis, Angeli Deo tanquam centro connectuntur immobili. Nec tamen Fatum vllam imponit rebus neceſſitatem; quia licèt ſublunaria recipiāt influxum ſuperiorum, reſiſtere tamen poſ-

ſunt propter contrarias materiæ diſpoſitiones. Iſta deſumpta ſunt ex 4. Boëtij *de Conſolat. Philoſophiæ.*

De natura rerum naturalium.

Eadem res ſicut poteſt eſſe principium & cauſa, ita poteſt eſſe natura: Hæc tamen diſtinctio eſt, quòd natura ſit in ipſo corpore naturali tanquam cauſa interna: ſed cauſæ aliquæ poſſunt eſſe externæ, ideóque natura vocatur Elementum primum omnis corporis naturalis.

Natura aliquando eſt natura naturans, ſc. Deus: aliquando natura naturata, ſc. Forma & Materia, de qua loquimur.

Vt eſt duplex ARS, vna actiua, v. gr. domus mentalis, aut aliquid aliud; alia eſt paſſiua, vt forma domus in ædificio: ita duplex natura, nimirum naturans & ſpiritalis, ſeu mentalis in Deo & Angelis, in quibus ſunt formæ effectrices rerum naturalium: Alia eſt naturata in ipſiſmet corporibus.

Natura eſt principium & cauſa motus & quietis in corpore in quo eſt primò per ſe. Et ſic diſtinguitur ab Arte: hęc enim eſt principium motus in eo corpore in quo non eſt; vt ædificator eſt cauſa motus ſiue ædificationis, non ſuiipſius, ſed domus. Natura verò, v. gr. hominis, eſt cauſa eius motus quem facit in ea materia, ſeu corpore in quo

non eſt; vt ædificator eſt cauſa motus ſiue ædificationis, non ſuiipſius, ſed domus. Natura verò, v. gr. hominis, eſt cauſa eius motus quem facit in ea materia, ſeu corpore in quo eſt: v. gr. eſt cauſa riſus, ambulationis, &c. Sic natura lapidis eſt cauſa motus in lapide extra centrum, & eſt cauſa quietis lapidis in centro. Vt definitio hæc intelligatur, Nota ex Boëtio NATVRAM quatuor modis ſumi: 1. Natura eſt omne id quod cùm ſit quoque modo intelligibile eſt, quia Nihil, & Priuationes licèt aliquo modo intelligantur, non tamen ſunt. 2. NATVRA accipitur pro omni eo quod actiuum & paſſiuum eſt, aut quod eſt actiuum tantùm. priori modo ſunt omnia corpora naturalia; poſteriori ſunt Deus, & Diuina. 3. modo propriè ſumitur pro materia & forma corporum naturalium & ſic intelligitur definitio. propriiſſimè tamen ſumitur pro forma diſtinguente ſubſtantiali: Sic dicimus, hæc eſt natura auri, aut argenti; & intelligimus prout diſtinguuntur inter ſe.

Licèt igitur eſſentia tota aliquando vocetur natura, tamen apud Phyſicos Materia tantùm & Forma vocantur Naturæ. Ratio eſt: Natura eſt principium primum, & cauſa prima motus & quietis, &c. ſed eſſentia naturalis non eſt principium primum,

nec cauſa prima ; quia partes ex quibus componitur , ſunt priores , ſcil. Materia, & Forma.

Nota 2. Res naturales diſtingui à non naturalibus. Res naturales ſunt quæ habent materiam & formam, id eſt, has naturas , ſicut album eſt quod habet albedinem. Res non naturales ſunt 1. Intelligentia mouens cælum in ſuo loco , nihil enim à natura in ſuo loco mouetur : cælum igitur non mouetur à natura, cum ſit in ſuo loco. Deinde mouetur infinitè à natura, cælum autem infinitè mouetur. 2. Res non naturalis aliquando vocatur Anima, vt apud Ariſtotelem & Auicennam: nam propriiſſimè natura mouet immediatè, vt natura ignis immediatè mouet ignem : Anima autem non mouet niſi mediantibus qualitatibus. Deinde Natura tantùm vnum motum habet, vt lapis deorſum , ignis ſurſum tantùm mouetur : anima autem variis motibus mouet , vt animalia dextrorſum, ſurſum, &c. plantas generando , augmentando , &c. 3. Res non naturales ſunt artificiales, nam ars mouet id in quo non eſt, vt ſtatuaria mouet ſtatuam. 4. Non naturalia ſunt violenta à quibus res mouentur repugnante naturâ. 5. Res non naturales ſunt accidentia ; nam natura

eſt principium per ſe, non autem per accidens.

Natura igitur eſt principium motus vel generationis, vel corruptionis, vel augmentationis, vel alterationis, vel motus localis, vel aliquorum, vel omnium: Nec enim neceſſe eſt vt natura omnem motum in quouis corpore & in quouis tempore & loco faciat. Sic licèt terra in centro non moueatur localiter, alteratur tamen per varias diſpoſitiones: cælum verò licèt in loco ſuo ſemper moueatur (de qua rè etiam ſuprà) nihilominus iſte motus non eſt à natura: & eſto quòd ſit à natura, nihilominus non eſt à natura quatenus natura particularis eſt, ſed à natura quatenus præfecta eſt rerum generationi. Deinde Ariſtoteles ait totum cœlum quieſcere, & totum moueri ſimul: nam quod ſemper eſt in eodem loco totum, id non mutat locum; ideóque quieſcit: cælum autem totum non mutat locum: ergo totum quieſcit. Id autem cuius omnes partes mouentur, totum mouetur: ſed omnes cæli partes mouentur, & mutant locum: ergo totum cœlum mouetur.

Natura eſt tam principium actiuum quàm paſſiuum, vt ſic comprehendatur materia, ſed potior natura eſt forma, nec enim materia eſt natura hominis niſi propter animam

ſeu formam. Hinc ſi lapis mouetur ſurſum à proiiciente, hoc non fit à natura, licèt materia lapidis ſit principium paſſiuum huius motus, quia iſte motus non fit à forma ſiue reſpectu formæ.

Natura eſt principium motus in eo in quo eſt per ſe & primò, & non ſecundùm accidens: Eſt enim eſſentia per ſe in re, ſed non primò, quia ante eſſentiam eſt natura, vt dixi. Deinde aliquando ars eſt principium motus in eo in quo eſt, ſed ſecundùm accidens; vt medicus aliquando ſeipſum ſanat, ſed hoc eſt per accidens, quia non ſe ſanat vt medicum, ſed vt ægrum: ideóque ſi hoc per ſe eſſet in eodem ſubiecto, ſemper eſſet medicus & æger; quod falſum eſt.

Ex comparatione Artis cum Natura faciliùs Natura intelligetur.

ARS facit partem poſt partem, Natura totum ſimul; vt ars facit fundamentum, poſteà parietes, &c. ſed natura facit ſimul omnes partes hominis in fœtu, pòſteà perficit, atque dilatat. Itaque ſi Natura faceret domum, faceret primò minutiſſimam domunculam totã, poſteà paulatim perficeret ſicut & plantam: ſi verò ars faceret hominẽ, primò faceret pedem, poſtea genu, &c.

Ars cognoſcendo facit, non cognoſcendo Natura facit.

Digitized by Google

Ars non facit formam ſubſtantialem, ſed tantùm figuram, diſpoſitionem, &c. ſed natura facit formam ſubſtantialem auri, argenti, &c.

Ars imitatur aliquando naturam in opere non naturali; vt cùm ædificat domum, aliquando perficit naturam, vt Logica, Rhetorica, &c.

CAPVT QVARTVM.

De proprietatibus corporum naturalium. De iis generatim.

ALII ſic enumerant *Motum, Quietem, Tempus, Locum, & Continuum.* Sed rectiùs ita philoſophandum: Natura eſt principium motus & quietis: ergo proprius effectus, imò & vnicus eſt motus & quies. Sed quia motus eſt ex genere continuorum, ſiue quantorum; ideò de Continuo tractatur, & præſertim vtrum ſit finitum vel infinitum, vtrum componatur ex indiuiſibilibus.

Quicquid autem mouetur naturaliter, in aliquo loco & aliquo tempore mouetur. ideò de LOCO & TEMPORE, atque adeò de VACVO, quod eſt oppoſitum Loco, tractatur.

Particulatim de Proprietatibus corporis.

De Motv & Qviete.

Doctrina, nomina, & ſignificatus Motus.

De Motv Metaphyſicus tractat, quatenus nempe omne ens vel eſt mobile, vel immobile, quocumque tandem motu, ſiue phyſico, ſiue metaphyſico; certè Angelorum contemplationes ſunt motus ſpiritales & ſcientiæ Angelorum alio ſenſu eſt quies Angelorum. Sed de motu corporis naturalis, id eſt, qui fit in corpore à natura ſiue à forma in corpore tractat Phyſicus. Ratio eſt. 1. Natura eſt principium motus: ergo ignorato motu, natura ignorabitur; ſicut ignoratâ riſibilitate neceſſariò ignoratur homo; quandoquidem ex Analyticis ſcientia eſt de proprietate per definitionem ſubiecti. 2. eſt, Vt noſcatur natura, debet noſci quatenus eſt primum principium & prima cauſa: Prima autem cauſa motus omnis, eſt primus Motor ſeu Devs. Hic autem non poteſt cognoſci niſi ex mo-

tu: ergo ignorato motu ignorabitur Motor primus; quo ignorato tanquam causâ primâ, ignorabitur vniuerſa natura.

Vocatur motus fermè omnis eodem nomine quo actiones & paſſiones nominantur: vt alteratio, augmentatio, generatio, &c. licèt formaliter diſtinguantur, vt Logici docuerunt. Meliùs tamen vocaretur Motio, quàm Motus: Hic enim ſignificat potiùs aliquid conſequens ad motionem; ſic ſaltus reſpectu ſalutationis, loquela reſpectu loquutionis aliquid conſequens ſignificat.

Eſt-ne, & quid eſt motus rerum naturalium?

Fuerunt Philoſophi, non phyſici, vt Parmenides, Meliſsus, & alij, qui omnem motum ſuſtulerunt, propterea quod obiectionibus contra Motum allatis reſpondere non potuerunt: ſed hoc modo omnia principia negari poſſent, ſi quis obiectioni contra illa ſatisfacere non poſſit.

Dari Motum, adeóque Naturam, tam certum eſt, vt ſi quis probare tentet, neſciat, inquit Ariſtoteles, quomodo aliquid probari debeat obſcurum, ſcil. præclarius. Eſt autem notiſsimum omnibus Naturam & Motum eſſe. Hinc ait Ariſtoteles non debere hoc diſputari, idem enim eſſet ac ſi cæcus diſputaret de coloribus.

Obiter hoc dicam, à nemine, quod ſciã intellectum hoc dictum, *Cæcus diſputat de coloribus*; Interpretantur enim cæci non eſſe diſputare de coloribus, & tamen cæci maximè eſt de iis diſputare, præcipuè quoad exiſtentiam. Is enim qui videt, non quærit, nec diſputat vtrum in hac aula ſint colores, quod certè cæcus quærere, & diſputare poteſt: Ideò ait Ariſtoteles, qui probaret eſſe motum & naturam, quaſi cæcus diſputaret de coloribus: tam enim certum eſt Motum eſſe, vt nemo niſi cæcus de eo diſputare debeat.

Motus ſic deſcribitur: *Motus eſt actus ſeu perfectio entis, ſeu illius quod eſt in potentia quatenus in potentia.* Hæc deſcriptio eſt inter puriſſimas & ſubtiliſſimas Phyſicæ, ideò enucleanda. Dixi; *deſcribitur;* nihil enim definiri poteſt niſi quod eſt in genere: Motus autem, ait Ariſtot. in nullo eſt genere entis, ſed per plurima diuagatur genera prædicamentorum. nã ſi eſſet vnum genus motus, certè augmentatio & motus localis eſſent eiuſdem generis, quod falſum; quia cùm omnis motus nihil aliud ſit quàm res, aut terminus ad quem tendit, & augmentatio nihil aliud eſt quàm quantitas, motus localis nihil aliud eſt quàm quantitas, motus localis nihil aliud eſt quàm Vbi. Cùm autem

quantitas & vbi ſunt genera diuerſa, certè augmentatio & motus localis non erunt eiuſdem generis. Motus dicitur *actus*, id eſt, perfectio, vt Albertus Magnus interpretatur.

Nota. Triplici modo aliquid naturaliter poteſt eſſe, vel in potentia materiæ; quo modo lapis frigidus eſt, in potentia calidus, non abſolutè in pura ac vera potentia, ſine omni materia; nullum enim ens naturale tale eſt, ideóque mundus alius qui eſt in potentia negatiua, & non priuatiua, ſiue non eſt in potentia materiæ, neutiquam eſt ens phyſicum.

2. modo aliquid eſt in actu ſeu termino, & re perfectè acquiſitâ; quo modo lapis iam eſt calidus.

3. modo aliqua res partim eſt in actu, partim eſt in potentia, quo modo lapis eſt qui iam calefit, habet enim aliquid de calore, ſiue hac perfectiore actu & formaliter: habet tamen potentiam vt vlterius calefiat, ſiue perficiatur. Hoc modo 3. motus eſt actus ſeu perfectio.

Nota. Aliquid eſt in potentia vel ad intrinſecum, vel ad extrinſecum. Ad intrinſecum dupliciter, vel ad perfectionem ſeu formam ſubſtantialem; Sic lignum eſt in potentia ad perfectionem ignis, vel ad per-

Digitized by Google

ctionem accidentalem; ſic lignum eſt in potentia & ad perfectionem ignis: Ad extrinſecum verò, vt ad locum, & tempus: Motus autem eſt actus rei quæ eſt in potentia ſiue ad intrinſecum, ſiue ad extrinſecum.

Nota 2. Actus ſeu perfectio eſt triplex, ſcil. vel prior tempore, vel prior in eſſe, vel prior in cauſa. Prior tempore eſt qui ad alium requiritur, & poſterior tempore eſt terminus: Sic calefactio prior tempore eſt calore. 3. Motus eſt perfectio, prior tempore. Perfectio quæ eſt prior in eſſe eſt ſubſtantialis reſpectu accidentalis; vt anima prior eſt mente. Neutro modo motus eſt actus. Perfectio prior in cauſa, eſt ipſa forma reſpectu actionis, neutro modo eſt perfectio. Eſt igitur motus actus entis in potentia; v. gr. calefactio eſt perfectio rei calefactibilis quatenus eſt calefactibilis. item augmentatio eſt perfectio rei augmentabilis, quatenus hæc res augmentabilis eſt. nam calor non eſt perfectio rei calefactibilis, ſed rei calefactæ. Item priuatio caloris non eſt priuatio rei calefactibilis, ſed potiùs priuatio. Dicitur *quatenus in potentia*, id eſt, motus non debet eſſe interruptus, ſed cōtinuus: Si enim aliquid calefaciat quod

poſteà à calefactione reſultat, habebit actum entis in potentia quatenus in potentia, quia interruptus eſt, nec continuatur.

De motu reſpectu formæ & ſubiecti.

Omnis motus eſt in aliquo mobili, ſed nullus eſt in re mouente, ſed tãtùm in re mobili ſeu patiente: nam cùm ignis calefacit, calefactio ſiue ſumatur pro actione, ſiue pro paſſione, eſt in aqua quæ calefit, non autem in igne calefaciente. Probatur: Si calefactio eſſet in igne, certè ignis acquireret nouum calorem, quod impoſſibile: tum quia ignis eſt calidiſſimus, tum quia ignis calidior eſſet quo magis calefaceret. Deinde multa agunt & mouentur quæ nullo modo capacia receptionis motus: ſic anima calefacit corpus, quæ tamen calefactionis non eſt particeps.

Omnis motus ſuam formam & ſpeciem deſumit à termino ad quem pergit, vt calefactio eſt eiuſdem ſpeciei ac calor ipſe: hoc tamen diſtinguitur, quòd terminus, v. gr. calor, ſit res quieta ſeu ſtata; motus verò, v. gr. calefactio ſit calor in fieri.

Terminus *à quo*, licèt ſit alius, non tamen variat ſpeciem: Si velim ex nigro fiat albus, ſiue ex cæruleo alióque colore, ſemper albefactio eſt eiuſdem ſpeciei, à quocúmque termino procedit.

De

De Motu reſpectu motoris.

Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Prob. Id quod mouetur perfectionem non habet eam ad quã mouetur. Id autem quod mouet, perficit, ſeu habet perfectionem. Impoſſibile autem eſt vt aliquid eodem reſpectu habeat & non habeat eandem perfectionem; v. gr. cùm ignis calefacit aquam; aqua non eſt calida, ſed calorem acquirit. Si igitur aqua à ſeipſa moueretur, quatenus moueret ſeu calefaceret eſſet calida; quatenus moueretur ſeu calefieret non eſſet calida.

Obiic. Aqua calida ſi remoueatur ab igne ſeipſam reuocat, ſeu reducit ad priſtinum frigus: ergo aliquid à ſeipſo mouetur cùm aqua ſeipſam frigefaciat. Reſp. ex Auerroë, calefieri. Poteſt enim aliquid ſe reuocare ad actum per potentiam, & hoc eſt per accidens: ſicut homo non ridens ſeipſum reuocat ad riſum per riſibilitatem ſeu potentiam ridendi, quæ eſt accidens. Ita, ait Auerroës, eſt duplex frigus in aqua, vnum actuale, alterum virtuale. iam aqua calefacta per frigus virtuale ſe reuocat ad frigus actuale.

Omne mobile debet eſſe ſimul cum ſuo mouente, ſiue debet ſeſe contingere, ſiue quod mouetur, per contactum mouetur, ſiue non datur actio in diſtans.

Obiic. Nonne polus ſeptentrionalis mouet acum magneticam? nonne magnes mouet diſtans ferrum? nonne dantur faſcinationes? ergo non requiritur contactus mobilis & mouentis. Scotus hoc concedit. Sed ſic dicendum eſt à polo diffundi virtutes ad acum magneticam, quæ propter aptitudinem potiùs motus fit à polo quàm aliquid aliud: Item à magnete ad ferrum virtus quædam peruenit: Item ex oculis faſcinantium maligni quidam vapores, præſertim vetularum tetri, veneficarum & capularium prodeunt faſcinantes: ergo ſaltem eſt contactus virtutis, ſi non ſuppoſiti.

In Motu datur ſphæra actiuitatis, id eſt, non in infinitum res agit naturalis, ſed datur gradus ſterilis qui nullum prætereà producere poteſt, vt ignis in vicino aëre producit ſeptem caloris gradus, hic aër in propinquo ſex, & iſte in alio quinque, donec tandem perueniamus ad vnum gradum qui vlterius calefacere nequit, aliàs ſic daretur progreſſus in infinitum. In motoribus ad aliquem primum perueniendum eſt; ſi enim non perueniamus ad primum Motorem, qui Deus eſt, nihil ſciemus; Infiniti enim non eſt ſcientia. Deinde ſi non eſt primus motor, certè nullus eſt motor: ſicut enim hæc calefactio non eſſet niſi aliquis

primò aut primus incœpiſſet: ita non eſſet motus huius mundi niſi aliquis primò & primus incœpiſſet.

De Motu reſpectu generum, ſpecierum, & indiuiduorum.

Motus iidem genere ſunt, qui ſunt in eodem prædicamento: Sic calefactio, contemplatio, figuratio, quia pertinent ad prædicamentum qualitatis, ſunt iidem genere. Motus iidem ſpecie ſunt qui ad eundem terminum congrediuntur: hinc ſi aër deſcenderet è cœlo ad locum ſuum, & aſcenderet ex terra ad eundem locum, ſemper eſſet motus idem ſpecie, ſcil. motus ſurſum.

Motus idem numero eſt qui fit in eodem ſubiecto ſecundùm eandem formam, ſecundùm idem tempus non interruptum, non autem ab eodem deficiente, hoc enim non eſt neceſſarium. Hinc ſi aliquis moueat rotam, & alius eundem motum continuet, eſt idem motus numero: Si autem canis coniectus è turre moriatur inter deſcendendum, non eſt idem motus, quia eſt aliud ſubiectum. Item non eſt eadem ſanatio hodierna quæ fuit ante annum, quia eſt alia forma numero.

De Infinito Physico.

Doctrina, nomina, & ſignificatus.

Ideò de Infinito tractant Phyſici, quòd omne corpus naturale ſit quantum, ſeu continuum: & multa quæ ſunt in corpore, aut circa corpus ſunt continua, vt motus, locus, tempus. Eſt autem proprietas Quanti, vt ſit finitum vel infinitum; non tamen negandum eſt multa eſſe in corporibus & quanta, quę nec ſunt finita, nec infinita. Nam punctum in linea nec eſt finitum, nec infinitum. Cùm enim punctum ſit finis & terminus lineæ, non poteſt finiri nec terminari, quia quod finitum eſt, per aliquid finitum eſt: finis autem non poteſt finiri: hinc etiam non eſt infinitum, quia finis non eſt ſine fine, cùm ſit ſibimet finis. Item qualitates ſunt in corporibus, & hæ nec ſunt finitæ, nec infinitæ niſi per accidens, ratione ſubiecti. Dicitur Infinitũ interminabile, incomprehenſibile, illimitabile.

Infinitum vel eſt ſecundùm eſſentiam, vt Deus ſolus; vel ſecundùm quãtitatem ſeu cõtinuam, ſeu diſcretam: ſecundùm cõtinuam, ſi aliquid eſſet vel infinitè lõgum, vel latum, vel profundum: ſecundùm diſcretam, ſi eſſent infinitæ partes.

Hoc Infinitum quantitatis duplex eſt, vel in actu puro, ſiue Categorematicum; vel in potẽtia, ſiue actu impuro, ſiue Syncategorematicum. Infinitũ actu puro eſſet quod realiter haberet infinitas partes: Infinitum actu impuro eſt cuius partes datæ ſeu acceptæ eſſent finitæ, partes autẽ accipiẽdæ eſſent infinitæ, ſiue cuius nõ ſunt tot actu partes, quin plures, pluréſque in infinitũ accipi, daríque poſſent, ita tamen actus ille nunquam impleatur totus: vt tempus ſic infinitum eſt, quia partes delapſæ temporis ſunt finitæ, partes verò quæ eſſe poſſunt, ſunt infinitæ.

Quid eſt Infinitum Phyſicum, & an ſit in rerum natura, vel diuinitus.

Diſtinctio eſt inter Totum & Infinitum; nam Totum ſic deſcribitur, eſt *id cuius nihil licet accipere extra*; vt tu totus es hîc, quia extra eas partes quæ aſſignantur in te, aut aſſignabiles ſunt, nullas licet extra accipere ſeu aſsignare. Infinitum ſic deſcribitur, *id eſt cuius licet ſemper aliquid accipere extra*; vt in infinito, v. gr. tẽpore, præter partes aſsignatas, ſeu acceptas, ſeu conſideratas, ſemper licet alias atque alias actu aſsignare, ſiue ſecũdùm actum, ſiue ſecundùm potentiam. In rerum natura nullum eſt.

Infinitum actu nec naturaliter eſſe poteſt. Prob. Si eſt infinitum, aut eſſe poteſt, eſt ſe-

cundùm quantitatem, ideóque ſecundùm corpus in quo eſt quantitas: ſed nullum eſt corpus infinitum actu. Probatur: Si eſt infinitum, vel eſt corpus ſimplex, vel compoſitum: vel eſt homogeneum, ſiue compoſitum ex partibus ſimilaribus & eiuſdem naturæ; v. gr. aër ex partibus aëris quæ ſunt aër: vel eſt corpus heterogeneum ex partibus diuerſæ naturæ: ſed nullum horum eſſe poteſt infinitum. Nam ſi aliquod corpus compoſitum ſit infinitum, vel partes omnes corporis ſunt finitæ, vel infinitæ: ſi ſint finitæ, non eſt infinitum, nam illud totum finitum eſt cuius omnes partes ſunt finitæ: ſi verò partes ſunt infinitæ, vel omnes partes ſunt infinitæ, vel aliquæ tantùm, ſi ſint aliquæ tantùm, cæteras virtute ſuperabunt & deſtruent: ſicque non erit compoſitum, v. gr. ſint in lapide infinitæ partes ignis, quo maior eſt ignis, eo maior erit calor: ergo ſi ignis ſit infinitus, erit infinitus calor, & ſic aliæ omnes partes ex quibus lapis debet componi, ſcil. alia elemẽta calor deſtruet; & ſic non erit vllum compoſitum. Si verò compoſiti partes omnes, ſiue omnia corpora ſimplicia ex quibus componitur compoſitum ſunt infinita, impoſſibile eſt hoc aſſerere: nam corpus habet trinam dimenſionem, ergo erit infinitum ſecundùm longitudinem, latitudinem, &

profunditatem : ergo omnem, id eſt, infinitum totum occupabit. Hoc poſito alia corpora, quæ ingredi debent compoſitionem, vel penetrabunt prius illud corpus, quod eſt impoſſibile ; vel tangent illud prius corpus : tactus autem fit ſecundùm vltima: ergo erunt tum tactum corpus, tum tangens finita, quia habent vltimum. Id autem cuius partes ſunt finitæ etiam totum finitum eſt.

Probatur 2. Sit corpus aliquod ſimplex infinitum, vel eſt in ſuo loco, vel extra: neutro modo poterit moueri, cùm tamen omne corpus naturale ſit mobile. Prob. antec. Si ſit extra ſuum locum per infinitum ſpatium, deberet moueri infinito tempore, & ſic nunquam peruenire poſſet ad ſuum locum: ſi verò ſit in ſuo loco, moueatur circulariter aut motu recto, neutrum fieri poteſt: nam lineæ à centro ductæ quò magis à centro diſtant, eo magis inter ſe diſtant: ergo in corpore infinito diſtabunt infinitæ à centro; ideóque lineæ infinitùm à ſe diſtabunt: Iam verò corpus quod circulariter mouetur, debet peruenire à loco vnius lineæ ſeu radij ad locum alterius lineæ; hoc autem fieri non poteſt, quia infinitum non poteſt pertranſiri : ergo non mouebitur circulariter, nec motu recto, id eſt, ſurſum, aut deorſum moueri poteſt : nam corpus infinitum

occupat omnem locum, quò ergo poterit moueri?

Nec Deus infinitum actu facere poteſt. Nam faciat: quæro an adhuc poſsit aliquid adiungere, an non? ſi non poteſt: ergo potentia ipſius eſt exhauſta: ſed nullus actus ſeu effectus exhaurit potentiam. Si verò adiungere poteſt, ſequetur vel quod vnum infinitum ſit maius alio, quod falſum eſt, quia infinitum non eſt quod finitur per aliquid maius: vel ſequetur non fore infinitum, quia ex duobus finitis non fit infinitum.

Datur tamen naturaliter infinitum ſyncategorematicum dupliciter, per detractionem ſeu diuiſionem: & per additionē, hoc modo: Non ſunt tot partes temporis, quin ſemper plures pluréſque eſſe poſsint per continuam additionem: item linea diuidatur in duas partes æquales, & quæuis pars iterum in duas partes; vel in infinitum ſic poterit procedere diuiſio, vel ſi non poteſt, perueniemus ad atomos, ſiue indiuiſibilia: atqui, vt ſeq. cap. dicam, Continuum non cōponitur ex indiuiſibilibus: ergo in infinitū procedit diuiſio.

De QVANTO, *ſiue* CONTINVO.

Quantitatem Metaphyſici tractant, Logici, & Mathematici, Theologi, & Medici: Phyſicus autem quatenus eſt proprietas ma-

teriæ & corporis naturalis: nullũ enim corpus eſt ſine quantitate, & nulla forma naturalis niſi ſub certa quantitate generari & cõſeruari poteſt, vt ignis ſi ad paruulam fauillæ quantitatem deueniat, perit, &c.

Continuum omne eſt finitum terminis ſuis, & continuatum ſeu copulatum per terminos. Probatur. Linea finitur punctis & copulatur, ſuperficies finitur lineis & ciungitur: corpus habet triplicem dimenſionem & terminationem. Hi termini ſunt indiuiſibiles. Nam ſi terminus diuiſibilis eſt, non eſt terminus aliquid primum vel vltimum; nam partes in quas diuideretur, eſſent priores aut poſteriores. Deinde finis non finitur per aliquid aliud, nec terminus per aliud terminatur. Iam verò id quod coniungit partes continui ſi eſſet diuiſibile in partes, hæ coniungerentur per aliquid aliud, & ſic in infinitum; quod falſum.

Quæritur ab antiquis omnibus an continuum componatur ex atomis ſeu indiuiſibilibus; ver. gr. vtrum linea ex meris punctis conſtet, ita vt in diuiſione tandem perueniamus ad tam minutula quæ vlteriùs diuidi non poſſint. Reſpondet Ariſtoteles non componi. Probatur. Sit linea mille punctorum: ponatur tardigrada cochlea in centeſimo puncto, & conſtituatur

occupat omnem locum, quò ergo poterit moueri?

Nec Deus infinitum actu facere poteſt. Nam faciat: quæro an adhuc poſsit aliquid adiungere, an non? ſi non poteſt: ergo potentia ipſius eſt exhauſta: ſed nullus actus ſeu effectus exhaurit potentiam. Si verò adiungere poteſt, ſequetur vel quod vnum infinitum ſit maius alio, quod falſum eſt, quia infinitum non eſt quod finitur per aliquid maius: vel ſequetur non fore infinitum, quia ex duobus finitis non fit infinitum.

Datur tamen naturaliter infinitum ſyncategorematicum dupliciter, per detractionem ſeu diuiſionem: & per additionẽ, hoc modo: Non ſunt tot partes temporis, quin ſemper plures pluréſque eſſe poſsint per continuam additionem: item linea diuidatur in duas partes æquales, & quæuis pars iterum in duas partes; vel in infinitum ſic poterit procedere diuiſio, vel ſi non poteſt, perueniemus ad atomos, ſiue indiuiſibilia: atqui, vt ſeq. cap. dicam, Continuum non cõponitur ex indiuiſibilibus: ergo in infinitũ procedit diuiſio.

De QVANTO, ſiue CONTINVO.

Quantitatem Metaphyſici tractant, Logici, & Mathematici, Theologi, & Medici: Phyſicus autem quatenus eſt proprietas ma-

teriæ & corporis naturalis: nullũ enim corpus eſt ſine quantitate, & nulla forma naturalis niſi ſub certa quantitate generari & cõſeruari poteſt, vt ignis ſi ad paruulam fauillæ quantitatem deueniat, perit, &c.

Continuum omne eſt finitum terminis ſuis, & continuatum ſeu copulatum per terminos. Probatur. Linea finitur punctis & copulatur, ſuperficies finitur lineis & ciungitur: corpus habet triplicem dimenſionem & terminationem. Hi termini ſunt indiuiſibiles. Nam ſi terminus diuiſibilis eſt, non eſt terminus aliquid primum vel vltimum; nam partes in quas diuideretur, eſſent priores aut poſteriores. Deinde finis non finitur per aliquid aliud, nec terminus per aliud terminatur. Iam verò id quod coniungit partes continui ſi eſſet diuiſibile in partes, hæ coniungerentur per aliquid aliud, & ſic in infinitum; quod falſum.

Quæritur ab antiquis omnibus an continuum componatur ex atomis ſeu indiuiſibilibus; ver. gr. vtrum linea ex meris punctis conſtet, ita vt in diuiſione tandem perueniamus ad tam minutula quæ vlterius diuidi non poſſint. Reſpondet Ariſtoteles non componi. Probatur. Sit linea mille punctorum: ponatur tardigrada cochlea in centeſimo puncto, & conſtituatur

velociſſimus Achilles in puncto primo: incipiat vterque omni conatu currere ſimul, ſi linea conſtet ex punctis, nunquam Achilles poterit aſſequi curſu cochleam. Nam dum Achilles tranſit vnum punctum eodem tempore cochlea tranſit vnum, nec enim minùs tranſire poteſt quàm punctum: & ita cùm Achilles 2. aut 3. etiam cochlea tranſibit, hoc pacto nunquam aſſequetur velociſſimus tardiſſimum, ſi linea conſtet ex punctis, quod clarè falſum.

Indiuiſibilia ſunt-ne realia, & aliquid à continuo diſtinctum realiter, vt punctum quod terminat lineam, eſt-ne aliquid diſtinctùm realiter à linea, & ab eadem ſeparabile? Reſpondeo non eſſe. Separa enim punctum à linea, certè hæc linea non erit infinita: ergo finita: quorſum ergo opus erat puncto terminante ſeu finiente? Nihil ergo aliud eſt punctum terminans lineam, quàm linea non vlteriùs tendens, ſiue cum negatione vlterioris extenſionis.

De LOCO, *&* VACVO.

De Loco ideò tractatur.

Primò quia omne corpus naturale eſt alicubi: nam quicquid non eſt, in nullo loco eſt: ergo quicquid eſt, in loco eſt. Corpus autẽ naturale eſt: ergo in loco eſt. Sic argumentabã-

tur antiqui: vt quia Chimera nō eſt, nullibi eſt.

Quamuis hæc ratio argumentandi nulla eſt, quia non valet conſequentia à deſtructione antecedentis, ad adſtructionem conſequentis.

2. Quicquid eſt, ſeu exiſtit, particulare eſt: Particulare autem eſt *hic* & *nunc*: ergo in loco & tempore. Quamuis obiici poſſet vltimum cælum eſſe corpus, nec tamen eſſe in loco: locus enim continet; nihil autem continet cælum extra quod nec locus, nec aliquid aliud ens naturale eſt. Reſponderi poteſt; Quandoquidem cæli ſuperficies ſit locus omnium rerum (continet enim vniuerſum mundum) & cùm cælum ſit in ſua ſuperficie, quemadmadum animal eſt in pelle ſua: etiā cælum eſt in loco ratione ſuæ ſuperficiei, quæ eſt locus aliarum rerum.

3. Quicquid mouetur localiter, ad aliquem locum mouetur: corpora autem omnia localiter mouentur: ergo ad aliquem locum, imò diuerſa corpora ſucceſſiuè ad eundem locum mouētur, ad eundem ſaltem ſecūdùm eſſentiám, licèt non ſecundùm eſſe; v. gr. mouetur ad hunc locū iam homo, iam beſtia, qui locus licèt aliud eſſe acquirat, quatenus iam continet hominem, iam beſtiam, eſt tamen idem eſſentialiter locus. Hic autem locus quoad eſſentiam ſpectatur ſecundùm immo-

bilitatem;eſto enim mutetur ſuperficies quæ continet aliquam turrim, tamen ſemper eſt idem locus eſſentialiter, quia immobiliter diſtat, ſiue immobilem habet diſtantiam à cæli polis, & à centro mundi: nam aëris huius ſuperficies quæ circundat hanc columnam, eſt locus columnæ. Licèt igitur alterius aëris ſuperficies ſuccedere poſſit, & continere columnam, tamen ſemper eſt idem locus ſecundùm eſſentiam, id eſt, propter eandem immobilem diſtantiam à polis & centro mundi. Hinc locus à vaſe diſtinguitur, quia vas eſt mobile; locus immobilis: vnde dolium quod hinc aliò transfertur, eſt in eodem vaſe, ſed non in eodem loco.

Locus antiquis & modernis quibuſdam cenſetur eſſe vacuum ſeu inane, id eſt, diſtantia trinè dimenſa, ſiue interuallum triplicis dimenſionis; v. gr. concipe dolium ex quo omne omnino corpus, etiam aër, effluxerit: dicunt illud ſpatium ſeu interuallũ quod eſt inter latera dolii eſſe locum, ſc. id vacuum. Sed errant; nam illud vacuum vel eſt aliquid, vel nihil: Si eſt nihil, quomodo poteſt nihil eſſe proprietas corporis? ſi dicas eſt aliquid imaginabile, quomodò rei veræ proprietas poteſt eſſe imaginabilis? Si verò hoc vacuum ſit aliquid, nihil aliud eſſe poteſt quàm ſpatium trinè dimenſum:

& hoc modo cùm corpus eſt in loco, daretur penetratio dimenſionum, quod naturæ eſt impoſſibile. Deinde, in rerum natura non poteſt dari vacuum, quod ſic probo: Inter duos parietes nullum eſt ſpatium ſi nihil medium intercedat inter illos parietes: res enim ſunt immediatæ inter quas nullum medium eſt: ſed vacuum nihil eſt: ergo nec eſt medium inter illos parietes: ergo parietes ſunt immediati.

Locus ergo eſt ſuperficies prima æqualis & immobilis in corpore continente, ſiue corporis continentis, vt ſuperficies aëris concaua ſiue interior continentis columnam aëris eſt locus columnæ: quæ ſuperficies eſt æqualis columnæ, & eſt immobilis ſecundùm eſſentiam, non autem ſecundùm eſſe, ſiue materialiter, vt paulò antè oſtendi.

Ex hac deſcriptione patet nõ tantùm deſcribi locũ mathematicè quatenus eſt ſuperficies, ſed deſcribi phyſicè, quatenus eſt ſuperficies corporis continentis, conſeruantis, & attrahentis, ac perficientis corporis rem locatam; hæc enim omnia per corpus continens intelliguntur. Hinc res mouentur ad ſuum locum, non tantùm tanquam ad quantitatem ſeu ſuperficiem, ſed etiam ad quantitatem qualitate corporis continentis indutam & conſeruantem. Sic

grauia mouentur deorſum, quia illic meliùs conſeruantur, non à ſuperficie, ſed à ſuperficie tali.

Ariſtoteles ait omnia moueri ad ſuum locum, quod intelligendum eſt non tantum tanquam ad locum phyſicum, ſed etiam tanquam ad ſex loci differentias, ſiue ad ſex poſitionum differentias, ſcil. ſurſum, deorſum, antè, retrò, dextrorſum, & ſiniſtrorſum: nec enim in mundo hæ differentiæ loci tantùm reſpectu noſtri dicuntur, ſed etiam ex ipſa rei natura: Deorſum enim eſt quo mouentur grauia: ſurſum eſt abſolutè quò mouentur leuia: reliquæ verò differentiæ tantùm ſunt in animatis: cælum autem eſt animatum, ſaltem animâ aſſiſtente. Itaque antrorſum cùm animalia moueantur, antrorſum cæli eſt occidens, quia primum cælum eò mouetur, retrorſum eſt oriens, & eò mouentur inferiores cæli proprio motu: dextrorſum eſt ſeptentrio, & ſiniſtrorſum eſt meridies, quo modo mouetur planetæ in Zodiaco; v. gr. ſol in æſtate ad ſignum Cancri, quod eſt ſignum ſeptentrionale: hyeme ad Capricornũ, qui eſt ſignum meridionale. Ariſtoteles ait locũ eſſe ſuperficiem corporis cõtinẽtis: quia duplex ſuperficies cõtinet corpus locatum: vna eſt corporis locantis, vt aëris hominem ambientis: altera eſt cor-

poris locati, vt ſuperficies & figura hominis locati. Locatum continet hominem, ſed non vocatur locus, niſi quis dicere velit eſſe locum internum.

Dubium eſt quomodo corpora moueantur ad ſuum locum, vtrum tanquam à fine, vel vtrum tanquam à cauſa efficiente. Deinde ſi ſuperficies aquæ circundans terram eſt locus terræ, certè terra non mouetur ad ſuperficiem aquæ, ſed potiùs ad centrum ſuum, imò videtur terra refugere ſuperficiem aquæ: ergo res non mouentur ad locum ſuum.

Reſpondeo 1. Corpora mouentur à loco naturali tanquam à fine; finis enim appetitur vt perficiat, loca autem naturalia res perficiunt. Reſpond. 2. Mouentur à loco tanquam à cauſa efficiente. Sicut enim magnes attrahit ferrum, ita terra videtur attrahere grauia; ignis verò elementaris & cælum videtur trahere leuia. Reſp. 3. Cùm ignis abſolutè ſit calidiſſimus, mouetur ad ſuperficiem lunæ concauam tanquã maximè caloris & ignis conſeruatricem, terra verò cùm ſit grauiſſima & frigidiſſima maximè ad cẽtrum mouetur, quod plurimũ à calore diſtat, quia remotiſsimũ: ideóque etiam ſuperficiem aquæ cõcauam petit tanquam cõſeruatricem frigiditatis: aër verò & aqua

ſunt partes. Nam præteritum non amplius eſt, futurum nondum eſt: ergò id quod non eſt, non eſt pars: Præſens autem nil aliud eſt quàm momentum, ſeu inſtans indiuiſibile: ſed indiuiſibile non eſt pars rei diuiſibilis: ergo inſtans non eſt pars temporis. Quòd autem inſtans & indiuiſibile non ſit pars rei diuiſibilis, probatur: Pars in re quãta aliquoties repetita facit totum: ſed indiuiſibilia non poſſunt facere diuiſibile, vt monſtratum: ergo indiuiſibile non eſt pars rei quantæ.

Antiqui apud Ariſtotelem Tempus dicunt vel eſſe motum cæli, vel ipſummet cælum. Sed hi errant; nam partes temporis ſunt tempus, ſicut partes lineæ ſunt linea: ſed partes motus cæleſtis non ſunt motus cæleſtis, quia motus cæleſtis eſt circulatio, partes autem circulationis non ſunt circulationes: ergo tempus non eſt motus cæleſtis.

Refutantur alii propter malam argumentationem. Nam dicunt, In tempore ſunt omnia quæ continentur à tempore: ſed in cælo ſunt omnia, omniáque à cælo continentur: ergo cælum eſt tempus, quia affirmatiua eſt argumentatio in ſecunda figura. Quamuis autem tempus non ſit motus, non tamen eſt ſine motu. Probatur ex hoc ſi-

gno: Quotieſcumque non mutamur ſeu mouemur, vel ſi mouemur, non tamen ſentimus nos moueri, non putamus eſſe tempus, vt fieri ſolet in dormientibus, aut iis qui magnâ voluptate afficiuntur. Etenim qui dormiunt, licèt mutentur, quia tamen nullam ſentiunt mutationem, non putant tempus præteriiſſe, vt monſtratur & fabulis, & hiſtoriis. Ita qui magnopere delectantur, non animaduertunt mutationem aut motum, ideò putant nullum præteriiſſe tempus.

Vt quid ſit TEMPVS intelligas, nota variam eſſe extenſionem; vna eſt, v. gr. extenſio qualitatis in ſubiecto, vt cùm per totam aquam calor extenditur. Alia eſt extenſio propria, vt extenſio quantitatis: alia eſt extenſio exiſtentiæ, quæ vocatur Duratio. Etenim Duratio nihil eſt aliud quàm exiſtentia extenſa, ſiue eſt exiſtentia alio reſpectu, ſcil. extenſio continuata, quæ in rebus naturalibus & mobilibus vocatur Tempus.

Nota 2. Cùm aliquid menſuratur, menſurari per menſuram primam. Primum enim in quouis genere eſt menſura cęterorum; v. gr. perfectio animalium menſuratur per perfectionem primi animalis, ſcil. hominis, & quo aliquod animal propiùs acce-

dit ad hominem, eo eſt perfectius. Item Menſura debet eſſe notiſſima, & minima; v. gr. ſi quis pecuniam gallicam menſurare, aut numerare velit, adhibebit v. gr. vt vocamus denarium, propterea quòd denarius iam ſit notiſſima & minima pars monetæ, ideóque qui neſcit quid ſit aureus, quid aſſis, quid teruncius *vn liard*, per denarium adhibitum quo numerat, poterit ſcire.

Nota 3. Menſura omnis eſt eiuſdem generis, nec enim quantitatem per ſubſtantiam, nec ſubſtantiam per quantitatem numerare, aut menſurare poteris.

Nota 4. Menſura vel eſt actiua ſeu externa; vel paſſiua ſeu interna; v. gr. ſi aliquis menſurare velit pannum, poteſt per vlnam externam menſurare, & tamen idem pannus per ſuam internam vlnam menſuratus eſt; nec enim maior eſt quàm illa menſura quam intrinſecè habet.

Nota 5. Ariſtoteles vocat Tempus, Numerum, & Menſuram ſimul: Licèt enim menſura ſit in continua quantitate, tamen cùm quantitas continua præſupponat diſcretam, ſicut præſupponit totum partes; certè quantitas diſcreta, ideóque numerus notior eſt quàm ſit menſura continua.

His poſitis, Ariſtoteles ait Tempus eſſe numerum, ſeu menſuram motus ſecundùm prius & poſterius: ideóque ſupponit Tempus eſſe tanquam paſſionem ſeu proprietatem quæ motum conſequitur. Sed cuius motus tempus eſt menſura? Reſpondeo: Eſt motus notiſſimi primi & minimi, id eſt, motus primi mobilis quo viginti quatuor horarum ſpatio dies naturalis conficitur: nam ex omnibus motibus hic notiſſimus eſt, imò eſt minimus, propterea quod minimo tempore fiat; quandoquidem viginti quatuor horarum ſpatio vniuerſum cælum tam vaſta ſc. moles circumferatur. Quòd autem motus cæleſtis ſit primus, inde conſtat, quòd omnes alii motus à motu cæleſti dependeant, quo ceſſante omnes motus & generationes ſublunares ceſſarent: ergo tempus eſt menſura motus primi mobilis ſecundùm prius & poſterius quatenus vna pars eſt prior aliâ: ſicut enim vna pars calefactionis eſt prior aliâ, ita vna pars temporis calefactionis eſt prior aliâ: ſiue vna pars durationis motus cæleſtis eſt prior aliâ.

Eſt Tempus cæli menſura interna motus cęleſtis: eſt verò menſura externa aliorum motuum, quia vt noſtros motus menſuremus adhibemus menſuram motus cæleſtis, ſcil. vt dicamus hunc motum tot horas duraſſe.

Tempus eſt prudentiſſimum & ſtultiſſimum, inquit Ariſtot. non quòd ita ſit, ſed quòd ita homines tempori attribuant; quia enim omnia cum tempore diſcimus, ideò tempus dicitur ſapientiſſimum: quia verò omnia cùm tempore dediſcimus, ideò tempus dicitur ſtultiſſimum.

PARS TERTIA.

De ſpeciebus corporis naturalis.

Diuiſio ſpecierum corporis naturalis.

CORPVS vel eſt omnium corporum complexus, & eſt MVNDVS: vel eſt corpus ſpecificum, & ſic vel eſt ſimplex, vel compoſitum ex ſimplicibus. Simplex vel eſt corruptibile, vel incorruptibile. Hoc autem eſt CÆLVM continens duodecim. Illud eſt ELEMENTVM QVADRVPLEX. Compoſitum corpus vel viuit, vel non. Si non viuit, vel eſt imperfectè mixtum, & inconſtans, ſc. METEORVM: vel eſt perfectè mixtum & conſtans, continens triplicia corpora, LAPIDES ſcil. METALLA, & MINERALIA ſiue

oſtenſum: ſed vniuerſus Mundus mouetur, ſiue omnia corpora quæ in mundo ſunt mouentur: ergo non à ſe: ergo ab alio, qui Deus eſt.

Concl. 3. Mundus factus eſt propter Deum, nam finis eſt præſtantior: ſed mundo corporeo nihil eſt præſtantius quàm Deus: ergo Deus eſt finis: & ipſemet ait, *Propter ſeipſum creauit omnia Altiſsimus.*

Concl. 4. Non poteſt Phyſicâ ratione demonſtrari Mundum non fuiſſe factum ab æterno: nam licèt ex Fide conſtet non fuiſſe ab æterno, tamen nulla eſt demonſtratio, quia ex Analyticis demonſtratio eſt rerum neceſſariarum: ſed exiſtentia Mundi nō eſt neceſſaria, cùm nulla exiſtentia neceſſariò connectatur cum eſſentia (excepto Deo:) ergo de Mundi exiſtentia non eſt demonſtratio.

Obiicies. Scimus primos artium & ſcientiarum inuentores: nullæ ſunt hiſtoriæ quæ faciant mentionem altioris antiquitatis quàm hiſtoriæ Moſis: atqui non eſt credibile Mundum ab æterno in perpetua ignorantia artium, ſcientiarum, hiſtoriarum vixiſſe. Reſpond. Eadem res poteſt ſæpiùs inueniri tam in diuerſis locis quàm in diuerſis temporibus. Sic ars Typographica, & ars igniuomorum tormentorum in Ger-

Digitized by Google

mania inuentæ, & tamen aliquot centenis annis hæ artes apud Chinenſes floruerunt, &c. ideóque Poëta ait: Dij malè perdant antiquos, mea qui præripuere mihi: Ergo tantùm ſcimus inuentores poſtremos. De hiſtoriis (ſepoſitâ Fide) falſum eſt. Etenim & Ægyptij, & Chinenſes, & Indi Occidentales multa millia annorum numerant vetuſtiora Moyſis annis.

Concluſ. 5. Nulla eſt demonſtratio phyſica Mundum non duraturum in æternum: nam ſi non poſſet durare, paulatim deficeret: ſed non deficit. Etenim cæli eadem virtute præſtant: homines verò æquali ſunt magnitudine, robore, viuacitate, & longæuitate ac initio mundi fuerunt: ergo Mundus non deficit. Conſtat antecedens: Tempore Dauidis hominum vita ſexaginta erat annorum: atque hęc eſt adhuc ordinaria vita hominum. Habemus Sanctorum reliquias, comparentur ipſorum oſſa noſtris, non ſunt maiora. Antiqui auctores fuerunt ſcientiarũ: atqui ſuperiori ſeculo Typographica ars, tormentorum bellicorum, Geographia, Hydrogr. Aſtrol. &c. vel inuentæ, vel perfectæ fuerunt. Quod autem vixerint primi parentes diutiùs, hoc fuit, ex Ioſepho, vel vt colerent ſcientias, & docerent, vel vt multiplicarent genus humanum: nam

etiam hodie in India centum quinquaginta annos viuunt; & in Galliis apud Lemouicenſes, Aruernos, Petrocoreos centum viginti annos attingunt. De Gigantibus pleraque ſunt fabuloſa: attamen & hodie Patagones ſunt, & in Africa non longè Moſambiques homines ſunt vaſtæ magnitudinis & giganteæ. Nec obſtat quod dicitur dari ſphæram actiuitatis, i. paulatim virtutem langueſcere, vt videmus cùm ignis calefacit aërem, & aër iſte vicinum calefacit, donec tandem calor debilitetur. Hoc enim tantùm verum eſt cùm accidens non eſt in proprio ſubiecto; ſed cùm eſt in proprio ſubiecto, non datur ſphæra actiuitatis, id eſt, cùm ignis generat ignem, cum ſimili colore generat, & ſic in infinitum; atque adeò non imminuitur calor, aut ignis vnquam. Verum quidem eſt quod pro ratione conſtellationũ aut influxuum cæleſtium res aliquibus ſeculis aut annis minores fiant, ſed poſteà ſecundùm alias conſtellationes iterum fiunt maiores: ſic videmus aliquo anno fructus eſſe minores, ſequenti verò maiores.

Concl. 6. Nulla eſt ratio demonſtratiua Mundum tantùm eſſe vnum. Licèt enim Ariſtoteles in hac opinione fuerit, & communiter ſint omnes tam Theologi, quàm Philoſophi, tamen nec Ariſtotelis, nec alio-

rum argumenta conuincunt, præſertim cùm nullum expreſſiſſimum ſit teſtimonium S. Scripturę condemnantis pluralitatem Mundorum. Etenim eadem potentiâ quâ Deus creauit vnum, infinitos potuit creare Mundos.

Concl. 7. Mundus eſt finitus, nullum enim argumentum eſt infinitatis mundi. Deinde ſuprà oſtenſum eſt infinitũ non poſſe fieri: tandem cùm omne corpus naturale moueri poſſit, Mundus corporeus non poſſet moueri. Nam non poſſet moueri ſurſum, aut deorſũ, quia omne ſpatium occuparet: nec poſſet moueri circulariter, quia infinitum ſpatium pertranſiret. Infinitum autem pertranſiri non poteſt, aliàs eſſet finitum, ſi ad ipſius finem poſſemus peruenire.

Concl. 8. Mundus eſt rotundus. nam cùm Deus omnia perfectiſſima fecerit, Mundum etiam ſub perfectiſſima figura fecit, qualis eſt rotunda, tum ob ſimplicitatem, tum ob capacitatem. Deinde, quia planetas & ſtellas circulariter moueri videmus.

Concl. 9. Corpus ſimplex ſimplicem habet motum: nam experientiâ conſtat naturaliter ignem tantùm ſurſum moueri, aquam deorſum, cœlum circulariter. Deinde qualis forma, talis eſt motus; forma autem

corporis ſimplicis eſt ſimplex: ergo & motus eſt ſimplex.

Hîc tamen notabis omne corpus ſimplex ratione alterius habere poſſe duplicem motum: Primus eſt ratione totius, ſiue propter conſeruationem vniuerſi. Si metu vacui grauia aſcendunt, leuia deſcendunt, vt nimirum ordo vniuerſi conſeruetur, ne per vacuum deſtruatur. Secundus eſt motus ratione ſuperioris: ſic enim & aër & ignis ſupra montes vnà cum cælo circulariter mouentur.

Concl. 10. Cælum eſt, & non eſt ex eadem materia cum rebus ſublunaribus. Eſt quidem quatenus vnum principium materiale omnium rerum: non eſt quatenus cæleſtis materia non habet priuationem rerum ſublunarium, nec materia ſublunaris priuationem habet rerum cæleſtium: cùm enim Natura nihil fecerit fruſtrà, certè talis priuatio fruſtrà fieret; quando quidem nunquam è cælo fiant res ſublunares, & ex ſublunaribus nunquam fiat cælum Deinde eſt eiuſdem materiæ quatenus habet fortè priuationem rerum ſublunarium, tamen numquam priuatio iſta principium erit cur aliquid de nouo generetur ex cælo, propterea quòd nobilitas formæ cæleſtis impediat corruptionem.

Concl. 11. Cælum conſtat formâ alterius rationis à rebus ſublunaribus. Nam quemadmodum accidentia ſunt alterius rationis, vt calor cæleſtis non eſt formaliter calor, ſed eminenter, & virtute: ita forma cæleſtis eminenter & virtute continet omnes formas ſubſtantiales (exceptâ rationali) rerum inferiorum; quandoquidem omnes omninò formas cælum generet: ideóque cùm forma cæleſtis virtute ſit omnes formæ ſublunares, ideò eſt alterius rationis.

Concl. 12. Cęlum extremum nullibi eſt, ſicut nec Mundus, nam ſi alicubi eſſet, in loco eſſet: ſed nullus eſt locus mundi, aut cæli extremi, quia locus eſt ſuperficies corporis continentis, nullum autem eſt eſt corpus quod poſſit continere Mundum, aut Cælum.

Concl. 13. Cælum habet ſex poſitionum differentias, ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum.

Hoc quantum compendio ſatis eſt oſtenditur in animali: ante eſt quo mouetur, retrò vnde mouetur, dextrorſum vbi maior virtus, ſiniſtrorſum vbi minor, ſuprà vnde influentiæ & ſpiritus vitales: deorſum quod eſt oppoſitum. Ergo hac comparatione factâ Occidens eſt retrò, ante eſt Oriens, Septentrio eſt dextrorſum, Meridies ſini-

Digitized by Google

ſtrorſum : noſtrum hemiſphærium deorſum, alterum ſeorſum.

Con. 14. Rectè dicitur cælum eſſe animatum: nam ſi cælum moueatur ab Intelligentiis ſeu Angelis: eſt animatum animâ aſſiſtente (vt iam communiter volunt. Si verò non moueatur ab Angelo, ſed à propria forma, eſt animatum animâ informante. nam quicquid in proprio loco à ſe mouetur, id omnes iudicant eſſe animatum animâ informante ; vt ſi lapidem in ſuo loco videremus à ſe moueri, iudicaremus eſſe animatum : ſed cæli in proprio loco à ſe mouentur : ergo ſunt animati : non autem animâ vegetante, nec ſentiente, nec ratiocinante, ſed animâ mouente ; idcóque ſufficientia habet organa ad motum circularem, ſcil. figuram rotundam, quæ omnium aptiſſima eſt ad motum.

Concl. 15. Cælum non eſt cęruleum, ſed potiùs colore (vt ſic dicam) luminis, id eſt, albo : nam nullum ſimplex eſt coloratum, quandoquidem colores fiant veri ex commixtione quatuor primarum qualitatum : ſed in cælo nulla eſt ex 4. primis qualitatibus (vt oſtenſum eſt) præſertim cùm ſit corpus ſimpliciſſimum : ergo non eſt coloratum. Dixi quaſi colore luminis, non quòd lumen habeat colorem, ſed quòd vi-

videatur quaſi albo colore, vt conſtat ex ſtellis & planetis. Itaque ſic probat Ariſtoteles, cùm cælum ſit ſimplex, quali colore apparent partes, tali videntur eſſe reliquę partes: ſed ſtellæ & planetę apparent albi: ergo & reliquum cælum album eſſe videtur. Dixi, quaſi colore luminis, id eſt colore apparente: nam ex Opticis lumen pro varia reflexione, refractione, & incidentia in varia corpora facit apparere diuerſos colores; ſcil. *Mille trahit varios aduerſo ſole colores Iris.*

Quod etiam in gemma, opalo, in nubibus &c. videre eſt; ideóque lumen ſub omni colore videri poteſt, ſed ſub colore apparente.

Obiicies, Cur ergo Cælum ſerenum apparet cæruleum; Reſp. eſſe colorem ignis elementaris ſub luna, & ſupra aërem nam quo ignis ſubtilior eſt, & quo ſubtiliore conſtat vapore, eo magis cæruleus apparet, vt conſtat ex ſpiritu vini inflammato, &c. ſed cùm ignis (vt videbitur) ſit ſupra aërem ſubtiliſſimum, rectè cenſemus eum eſſe cæruleum, quamuis & cum Scaligero dici poteſt cæruleum hunc colorem non eſſe ignis, ſed aëris, ſeu vaporum & exhalationum illuminatarum. Videmus enim cùm camini fumant ſereno cælo fumos apparere cæruleos.

Google

Concl. 16. Neceſſariò ſtatuenda videntur hæc quatuor elemēta, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Nam vbi ſimplex eſt motus, ibi ſimplex eſt natura corporis ſimplicis ſeu elementi: ſed tantùm ſunt quatuor motus ſimplices horum quatuor corporum, ſc. motus ſurſum ipſius ignis, motus aëris mediocriter ſurſum, motus terræ deorſum, & infimè, & motus aquæ deorſum, & non infimè. Quod ſi Cardanus cum Chymicis neget ignem eſſe elementum, nec vllum eſſe ſub concauo Lunæ: Sic reſpondemus: Natura nihil facit fruſtrà. Detur ergo cauſa cur ignis ſurſum tendat, & ad quem finem: Nulla alia dari poteſt quàm quòd quæuis res tendat ad ſuum centrum vbi melius conſeruatur, quia diſtat ab inimico, & quia locus proprius eſt conſeruatiuus.

Deinde, quòd hæc quatuor ſint elementa hinc manifeſtè colligitur, quòd ipſorum qualitates in omni omninò corpore reperiantur; nullum enim corpus eſt quod non ſit calidum, humidum, frigidum, & ſiccum: hæ autem ſunt proprietates ignis, aëris, aquæ, & terræ.

Chymici obiiciunt ſua elementa, ſulfur, mercurium, & ſal, &c. quæ fatemur quidem in omni corpore perfectè mixto ineſſe, &

eſſe quaſi elementa proxima rerum; ſicut Galenus ait humores eſſe proxima elementa amimalium: ſed certum eſt quod noſtra elementa illis ſint priora; quandoquidem reſolui poſſint in iſtas, vt in Curſu ampliore videbitur.

Concl. 17. Elementa in ſuo loco nec grauitant, nec leuitant. nam aqua in mari, fluuiis, quia in ſuo loco eſt, nullo modo actu grauis eſt, cùm natatores, &c. nunquam de grauitate maris ſint conqueſti; verum quidem eſt quod volentibus extrahere ex ſuo loco, renitantur, vt videre eſt ſi quis ex puteo aquam hauriat: cùm enim ad ſuperficiem putei ſuperuenit, magnò labore extrahitur, ideóque terra in ſuo loco non magis grauis eſt quàm aqua in ſuo loco: Ita etiam ignis & aër non leuitant in ſuo loco, id eſt, non nituntur ſurſum: ſi tamen aliquis detrahere velit ſurſum, nitentur vt ſi quis follem impleat aëre, non facilè ſubmerget, ſc. contranitente aëre.

CAPVT SECVNDVM.

De corpore mixto imperfecto, ſiue de METEORIS

CONCLVSIO I.

METEORA potiſſimùm fiunt in ſublimi, non intelligitur in ſublimi, id eſt in cælo: illic enim nihil fit de nouo, nec enim cometæ contra nouos illic generãtur, vt oſtendam. Stella quæ anno 1571 in Caſſiopeia apparuit de nouo generata fuit, ſed ſublime intelligitur ſpatium à terra & aqua ad cælum vſque. Dixi (potiſſimùm in ſublimi) quia etiam Meteora fiunt in viſceribus terræ, vt terræ motus, tonitrua terreſtria, pluuiæ terreſtres, id eſt, fontes, fluuij. &c. Sed quia præſtantiſſima Meteora & plurima fiũt ac pulcherrima in ſublimi, vt cometæ, fulmina, iris, nubes, &c. ideò vocantur Meteora, id eſt, ſublimia.

Concl. 2. Meteora non fiunt in igne elementari, ſed in triplici aëris regione. Nam notandum eſt à cælis ignem elementarem ſuppoſitum circumuehi, id eſt, motu circu-

mania inuentæ, & tamen aliquot centenis annis hæ artes apud Chinenſes floruerunt, &c. ideóque Poëta ait: Dij malè perdant antiquos, mea qui præripuere mihi: Ergo tantùm ſcimus inuentores poſtremos. De hiſtoriis (ſepoſitâ Fide) falſum eſt. Etenim & Ægyptij, & Chinenſes, & Indi Occidentales multa millia annorum numerant vetuſtiora Moyſis annis.

Concluſ. 5. Nulla eſt demonſtratio phyſica Mundum non duraturum in æternum: nam ſi non poſſet durare, paulatim deficeret: ſed non deficit. Etenim cæli eadem virtute præſtant: homines verò æquali ſunt magnitudine, robore, viuacitate, & longæuitate ac initio mundi fuerunt: ergo Mundus non deficit. Conſtat antecedens: Tempore Dauidis hominum vita ſexaginta erat annorum: atque hęc eſt adhuc ordinaria vita hominum. Habemus Sanctorum reliquias, comparentur ipſorum oſſa noſtris, non ſunt maiora. Antiqui auctores fuerunt ſcientiarũ: atqui ſuperiori ſeculo Typographica ars, tormentorum bellicorum, Geographia, Hydrogr. Aſtrol. &c. vel inuentæ, vel perfectæ fuerunt. Quod autem vixerint primi parentes diutiùs, hoc fuit, ex Ioſepho, vel vt colerent ſcientias, & docerent, vel vt multiplicarent genus humanum: nam

etiam hodie in India centum quinquaginta annos viuunt; & in Galliis apud Lemouicenſes, Aruernos, Petrocoreos centum viginti annos attingunt. De Gigantibus pleraque ſunt fabuloſa: attamen & hodie Patagones ſunt, & in Africa non longè Moſambiques homines ſunt vaſtæ magnitudinis & giganteæ. Nec obſtat quod dicitur dari ſphæram actiuitatis, i. paulatim virtutem langueſcere, vt videmus cùm ignis calefacit aërem, & aër iſte vicinum calefacit, donec tandem calor debilitetur. Hoc enim tantùm verum eſt cùm accidens non eſt in proprio ſubiecto; ſed cùm eſt in proprio ſubiecto, non datur ſphæra actiuitatis, id eſt, cùm ignis generat ignem, cum ſimili colore generat, & ſic in infinitum, atque adeò non imminuitur calor, aut ignis vnquam. Verum quidem eſt quod pro ratione conſtellationũ aut influxuum cœleſtium res aliquibus ſeculis aut annis minores fiant, ſed poſteà ſecundùm alias conſtellationes iterum fiunt maiores: ſic videmus aliquo anno fructus eſſe minores, ſequenti verò maiores.

Concl. 6. Nulla eſt ratio demonſtratiua Mundum tantùm eſſe vnum. Licèt enim Ariſtoteles in hac opinione fuerit, & communiter ſint omnes tam Theologi, quàm Philoſophi, tamen nec Ariſtotelis, nec alio-

rum argumenta conuincunt, præſertim cùm nullum expreſſiſſimum ſit teſtimonium S. Scripturę condemnantis pluralitatem Mundorum. Etenim eadem potentiâ quâ Deus creauit vnum, infinitos potuit creare Mundos.

Concl. 7. Mundus eſt finitus, nullum enim argumentum eſt infinitatis mundi. Deinde ſuprà oſtenſum eſt infinitũ non poſſe fieri: tandem cùm omne corpus naturale moueri poſſit, Mundus corporeus non poſſet moueri. Nam non poſſet moueri ſurſum, aut deorsũ, quia omne ſpatium occuparet: nec poſſet moueri circulariter, quia infinitum ſpatium pertranſiret. Infinitum autem pertranſiri non poteſt, aliàs eſſet finitum, ſi ad ipſius finem poſſemus peruenire.

Concl. 8. Mundus eſt rotundus. nam cùm Deus omnia perfectiſſima fecerit, Mundum etiam ſub perfectiſſima figura fecit, qualis eſt rotunda, tum ob ſimplicitatem, tum ob capacitatem. Deinde, quia planetas & ſtellas circulariter moueri videmus.

Concl. 9. Corpus ſimplex ſimplicem habet motum: nam experientiâ conſtat naturaliter ignem tantùm ſurſum moueri, aquam deorſum, cœlum circulariter. Deinde qualis forma, talis eſt motus; forma autem

corporis ſimplicis eſt ſimplex: ergo & motus eſt ſimplex.

Hîc tamen notabis omne corpus ſimplex ratione alterius habere poſſe duplicem motum: Primus eſt ratione totius, ſiue propter conſeruationem vniuerſi. Si metu vacui grauia aſcendunt, leuia deſcendunt, vt nimirum ordo vniuerſi conſeruetur, ne per vacuum deſtruatur. Secundus eſt motus ratione ſuperioris: ſic enim & aër & ignis ſupra montes vnà cum cælo circulariter mouentur.

Concl. 10. Cælum eſt, & non eſt ex eadem materia cum rebus ſublunaribus. Eſt quidem quatenus vnum principium materiale omnium rerum: non eſt quatenus cæleſtis materia non habet priuationem rerum ſublunarium, nec materia ſublunaris priuationem habet rerum cæleſtium: cùm enim Natura nihil fecerit fruſtrà, certè talis priuatio fruſtrà fieret; quandò quidem nunquam è cælo fiant res ſublunares, & ex ſublunaribus nunquam fiat cælum Deinde eſt eiuſdem materiæ quatenus habet fortè priuationem rerum ſublunarium, tamen numquam priuatio iſta principium erit cur aliquid de nouo generetur ex cælo, proptèrea quòd nobilitas formæ cæleſtis impediat corruptionem.

Concl. 11. Cælum conſtat formâ alterius rationis à rebus ſublunaribus. Nam quemadmodum accidentia ſunt alterius rationis, vt calor cæleſtis non eſt formaliter calor, ſed eminenter, & virtute: ita forma cæleſtis eminenter & virtute continet omnes formas ſubſtantiales (exceptâ rationali) rerum inferiorum; quandoquidem omnes omninò formas cælum generet: ideóque cùm forma cæleſtis virtute ſit omnes formæ ſublunares, ideò eſt alterius rationis.

Concl. 12. Cęlum extremum nullibi eſt, ſicut nec Mundus, nam ſi alicubi eſſet, in loco eſſet: ſed nullus eſt locus mundi, aut cæli extremi, quia locus eſt ſuperficies corporis continentis, nullum autem eſt eſt corpus quod poſſit continere Mundum, aut Cælum.

Concl. 13. Cælum habet ſex poſitionum differentias, ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum.

Hoc quantum compendio ſatis eſt oſtenditur in animali: ante eſt quo mouetur, retro vnde mouetur, dextrorſum vbi maior virtus, ſiniſtrorſum vbi minor, ſuprà vnde influentiæ & ſpiritus vitales: deorſum quod eſt oppoſitum. Ergo hac comparatione factâ Occidens eſt retrò, ante eſt Oriens, Septentrio eſt dextrorſum, Meridies ſini-

ſtrorſum : noſtrum hemiſphærium deorſum, alterum ſeorſum.

Con. 14. Rectè dicitur cælum eſſe animatum: nam ſi cælum moueatur ab Intelligentiis ſeu Angelis : eſt animatum animâ aſſiſtente (vt iam communiter volunt. Si verò non moueatur ab Angelo, ſed à propria forma, eſt animatum animâ informante. nam quicquid in proprio loco à ſe mouetur, id omnes iudicant eſſe animatum animâ informante ; vt ſi lapidem in ſuo loco videremus à ſe moueri, iudicaremus eſſe animatum : ſed cæli in proprio loco à ſe mouentur : ergo ſunt animati : non autem animâ vegetante, nec ſentiente, nec ratiocinante, ſed animâ mouente ; idcóque ſufficientia habet organa ad motum circularem, ſcil. figuram rotundam, quæ omnium aptiſſima eſt ad motum.

Concl. 15. Cælum non eſt ceruleum, ſed potiùs colore (vt ſic dicam) luminis, id eſt, albo : nam nullum ſimplex eſt coloratum, quandoquidem colores fiant veri ex commixtione quatuor primarum qualitatum : ſed in cælo nulla eſt ex 4. primis qualitatibus (vt oſtenſum eſt) præſertim cùm ſit corpus ſimpliciſſimum : ergo non eſt coloratum. Dixi quaſi colore luminis, non quòd lumen habeat colorem, ſed quòd vi-

videatur quaſi albo colore, vt conſtat ex ſtellis & planetis. Itaque ſic probat Ariſtoteles, cum cælum ſit ſimplex, quali colore apparent partes, tali videntur eſſe reliquę partes: ſed ſtellæ & planetę apparent albi: ergo & reliquum cælum album eſſe videtur. Dixi, quaſi colore luminis, id eſt colore apparente: nam ex Opticis lumen pro varia reflexione, refractione, & incidenria in varia corpora facit apparere diuerſos colores; ſcil. *Mille trahit varios aduerſo ſole colores Iris.*

Quod etiam in gemma, opalo, in nubibus &c. videre eſt; ideóque lumen ſub omni colore videri poteſt, ſed ſub colore apparente.

Obiicies, Cur ergo Cælum ſerenum apparet cæruleum; Reſp. eſſe colorem ignis elementaris ſub luna, & ſupra aërem nam quo ignis ſubtilior eſt, & quo ſubtiliore conſtat vapore, eo magis cæruleus apparet, vt conſtat ex ſpiritu vini inflammato, &c. ſed cùm ignis (vt videbitur) ſit ſupra aërem ſubtiliſſimum, rectè cenſemus eum eſſe cæruleum, quamuis & cum Scaligero dici poteſt cæruleum hunc colorem non eſſe ignis, ſed aëris, ſeu vaporum & exhalationum illuminatarum. Videmus enim cùm camini fumant ſereno cælo fumos apparere cæruleos.

Concl. 16. Neceſſariò ſtatuenda videntur hæc quatuor elemẽta, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Nam vbi ſimplex eſt motus, ibi ſimplex eſt natura corporis ſimplicis ſeu elementi: ſed tantùm ſunt quatuor motus ſimplices horum quatuor corporum, ſc. motus ſurſum ipſius ignis, motus aëris mediocriter ſurſum, motus terræ deorſum, & infimè, & motus aquæ deorſum, & non infimè. Quod ſi Cardanus cum Chymicis neget ignem eſſe elementum, nec vllum eſſe ſub concauo Lunæ: Sic reſpondemus: Natura nihil facit fruſtrà. Detur ergo cauſa cur ignis ſurſum tendat, & ad quem finem: Nulla alia dari poteſt quàm quòd quæuis res tendat ad ſuum centrum vbi melius conſeruatur, quia diſtat ab inimico, & quia locus proprius eſt conſeruatiuus.

Deinde, quòd hæc quatuor ſint elementa hinc manifeſtè colligitur, quòd ipſorum qualitates in omni omninò corpore reperiantur; nullum enim corpus eſt quod non ſit calidum, humidum, frigidum, & ſiccum: hæ autem ſunt proprietates ignis, aëris, aquæ, & terræ.

Chymici obiiciunt ſua elementa, ſulfur, mercurium, & ſal, &c. quæ fatemur quidem in omni corpore perfectè mixto ineſſe, &

CAPVT SECVNDVM.

De corpore mixto imperfecto, ſiue de METEORIS

CONCLVSIO I.

METEORA potiſſimùm fiunt in ſublimi, non intelligitur in ſublimi, id eſt in cælo: illic enim nihil fit de nouo, nec enim cometæ contra nouos illic generātur, vt oſtendam. Stella quæ anno 1571 in Caſſiopeia apparuit de nouo generata fuit, ſed ſublime intelligitur ſpatium à terra & aqua ad cælum vſque. Dixi (potiſſimùm in ſublimi) quia etiam Meteora fiunt in viſceribus terræ, vt terræ motus, tonitrua terreſtria, pluuiæ terreſtres, id eſt, fontes, fluuij. &c. Sed quia præſtantiſſima Meteora & plurima fiūt ac pulcherrima in ſublimi, vt cometæ, fulmina, iris, nubes, &c. ideò vocantur Meteora, id eſt, ſublimia.

Concl. 2. Meteora non fiunt in igne elementari, ſed in triplici aëris regione. Nam notandum eſt à cælis ignem elementarem ſuppoſitum circumuehi, id eſt, motu circu-

muchi, id eſt motu circulari vnà cum cælis moueri, ideóque propter concitatiſſimum motum nihil ibi poteſt generari, præſertim verò propter ignis calorem; nulla enim animalia, nullæ plantę, nulla alia corpora propter ignis ſummam actiuitatem in igne generari poſſunt. Dixi in triplici aëris regione. Prima regio aëris eſt infima, quam nos habitamus, & eſt calida tum propter exhalationes terreſtres, tum propter motum animalium, tum propter reflexionem radiorum ſolarium, & pertingit ad mediocris altitudinis montes. Secunda regio eſt ſuprema, quæ eſt ab ipſo igne elementari ad apicem ſummorum montium, & hęc regio eſt calida propter vicinitatem ignis & cælorum & propter continuum motum quo vnà cum cęlo circumfertur, & eſt ſemper ſerena, & illic non ſunt venti, nec pluuiæ, &c. quod conſtat hiſtoriis, Nam apud Alexandrum Aphrodiſæum, & alios, in vertice montis Olympi cineres ſacrificiorum relicti poſt annum ſalui & incolumes, eodem ſitu & quantitate reperiebantur. Quod ſi venti, pluuiæ, &c. eò perueniſſent, diſſipaſſent cineres, &c. Deinde in America montes altiſſimi inter Pannama & Nonbridios nihil omninò producunt, quòd omni deſtituan-

tur humore. Tertia regio eſt media inter has, perpetuò frigida primò experientrâ conſtat: deinde quia non fit eo vſque reflexio radiorum ſolis & reduplicatio. Præterea quia eo vſque vapores & exhalationes attolluntur, & ad priſtinum frigus redeunt, aëremque frigefaciunt, & hic ſunt frequentiſſima meteora, cometæ, fulmina, tonitrua vt in monte Atlante, ſaltem in ea parte quæ vocatur *Ciera Leona,* ſiue Currus deorum, &c.

Concl. 3. Pleraque Meteora ſunt prognoſtica naturalia rerum futurarum. Sic nunquam viſi cælo impunè cometæ; ſic Iris pluuias, non autem diluuium futurum ſignificat: ſic *Cādida Luna pluit rubicunda flat, alba ſerenat*: id eſt cùm infra lunam vapores tali colore aſpiciuntur ſic frequentia tonitrua, fulminàque aerem inficiunt, &c.

Concl. 4. Cauſa efficiens Meteororum præcipua eſt calor tum cæleſtis, tum ſubterraneus: ſed calor iſte moderatus eſſe debet. Si enim ſummus ſit calor, abſumit vapores & exhalationes, vt in magno æſtatis æſtu, ideóque nihil generatur metereologicum. Quòd ſi ſit ſummum frigus, nullus vapor, aut exhalatio è terra poteſt attolli ideóque ſummâ hyeme omnia glacie conſtricta manent: ſed in Vere & Autumno, in

quibus eſt moderatum cum calore frigus, frequentiſſima ſunt meteora, pluuiæ, grandines, tonitrua, &c.

Concl. 5. Meteororum præcipuus finis eſt ſalus plantarum & animalium, & vt ſic dicam, purgatio totius vniuerſi ſublunaris. Etenim cùm vapores & exhalationes attolluntur, pluuiæ, niues, &c. fœcundant terram; ignes verò meteori peſtilentes abſumunt exhalationes.

Concl. 6. Non tantùm ſunt Meteoræ ſubſtantiæ, ſed Meteora accidentia: Etenim pluuia, grando, &c, ſunt ſubſtantiæ: ſed parelij, paraſelenæ, colores nubium iridis, galactia, via lactea quatenus apparent in aëre milites aërei, &c. tantùm ſunt accidentia ex vario luminis reflexu ſic apparentia.

Concl. 7. Ex vaporibus & exhalationibus in ipſa media regione aëris, &c. poſſunt & plantæ & animalia naſci, eáque non ex parentibus, ſed ex putri materia naſci ſolent v. gr. in aëre & illa regione naſcuntur ranæ venenatæ, vt experientia frequens eſt, in territorio Pariſienſi naſcuntur locuſtæ, quæ aliquando inter ingentes exercitus deuolant; fructúſque exedunt, &c. vt apud Hieronymum Mercurialem, Fracaſtorium, &c. legere eſt.

Poteſt autem verè ſanguis pluere: nam ſi

fiat ingens aliqua ſtrages hominum, ſol ſanguineos attollit vapores, qui deinde in aëre concreſcunt, atque adeò depluunt. Cùm verò in Alpibus, &c, animalia paſcantur, & illic ſint multæ plantæ lactiferæ, ſol vapores lacteos æquè benè euocat, ac ex nobis euocat ſudores, atque inde cùm creuerint, in terras depluunt.

Concl. 8. Mare ſummum eſt ex aqueis meteoris Meteorum. Quod autem mare non ſit elementum, inde conſtat, quòd non ſit purum; poteſt enim mare inſalſum fieri: deinde quia nullum elementum purum ſaporem habet, ſicut nec colorem, quamuis habere poſſint ſaltem apparentem, ſicut terra ex ſua natura eſt alba, quòd conſtet ex maximè terreſtribus rebus, vt ex lapidibus, oſſibus, dentibus, &c. ita aqua ſuâ naturâ ad nigredinem accedit, cùm frequenti aquâ terra nigreſcat: vnde fortè illud colligi poteſt, cur Anaxagoras dixerit niuem eſſe nigram, cùm nix nihil aliud ſit quàm aqua: aër autem albus potiùs eſt; quandoquidem omnem humorem in quo includitur faciat candicantem, vt in ſpumis apparet.

De Lapidibus, Metallis, & Mineralibus.

Capvt II.

DE LAPIDIBVS.

De materia Lapidum, adeoque Gemmarum.

Materia Lapidvm ſiue pretioſorum, qui ordiuariè ſunt tranſparentes, ſeu perſpicui, diaphani, pellucidique ſiue ſint non tranſparentes, ideóque ordinarè non pretioſi, vt ſilices, ſaxa, &c. eſt aqua & terra, ita tamen vt in aliquibus terra prædominetur, præſertim in vulgaribus; in aliis vrò prædominetur aqua, præſertim in perſpicuis. Probatur terram aut aquam prædominari. Ex motu lapidum coniicimus naturam elementorum ex quibus conſtant: ſed lapides omnes mouentur infra aquam, qui eſt motus grauium, ſc. terræ & aquæ: ergo potiſſimùm eſt terra & aqua conſtant; aliàs enim ſi aliud elementum prędominaretur, non mouerentur infra aquam Quo etiam argumento conſtat non ex ſola aqua componi, aliàs mouerentur ſupraaquã.

Si enim criſtallus & beryllus tantum conſtarent ex aqua, mouerentur ſupra aquam, ſicut & mouetur glacies, quæ nihil aliud eſt quàm aqua compactior.

In lapidibus heterogenearum partium. vt in ſaxis, &c. & in non perſpicuis prædominatur terra, non autem ſine aqua. Probatur ex luto quod aliquoties exſiccatur dummodo non omnis humiditas effluat, fit aliquid medium inter lutum & lapides, & tandem indureſcit in lapidem: ſi enim nulla adſit humiditas ſeu aqua, vel omnis effluat, lutum non cohæret, ſed in pulueres aut cineres abit propter ſiccitatem terreſtrē quæ non ſolet continuare corpora, ſed potiùs diſsipare: ergo humidum requiritur vt continuet; & quemadmodum annuli in catenis ſe habent ita vt vnus alium amplectatur, ita aquæ humiditas terram, & terra humidum amplectitur: & ſic corpus lapidis continuatur. Probatur 2. Iſtis ſignis ordinariè in loco vnde ſaxa extrahuntur, inuenitur terra intermixta quæ non eſt pulueruIenta, ſed dura atque continua; & hæc eſt velut vena, vel potiùs velut ſanguis, ſeu materia lapidum, quæ tandem concreſcere poteſt in lapides, vel potiùs lapideſcere poteſt. Deinde in fodinis lapidum ſæpe reperiuntur, lapides,

ſed non continui, ſed velut per aſſeres, velut terra quædam intercedat, quemadmodum inter ſaxa in domo, calx aut cæmentum intercedit, quia nimirum terra eſt materia, nec tamen potuit continuari quocumque tandem impedimento fuerit impedita: potiſſimum verò quia humidum exhalabat, ideòque non potuit continuari. Probat. 3. Naſcuntur animalia in terris, ſeu ſaxis; vt oſtrea, teſtudines, imò & plantæ, ideò que humorem ebibunt è ſaxis, ideòque foraminulentas habent teſtas vnde attrahant humorem, imò plurima ſaxa habent foramina: nam in concretione lapidum aqua euaporans viam ſibi fecit. Prob. 4. Tam ſaxa quàm alij lapides, etiam qui in homine & aliis animalibus naſcuntur, petunt locum infra aquam: ergo ex aqua & terra compoſiti ſunt tanquam ex viſcoſo humore, ſeu ex terra humectata & vnctuoſa.

Obiic. Pumex & lapides quos euomit ignis ſubterraneus, innatant aquis: ergo non prædominatur terra & aqua. Reſp. Hoc fieri propter poros in quibus incluſus eſt aër. Deinde ſi comminuantur tales lapides, pulueres infra aquam mouentur.

Materia lapidum perſpicuorum eſt aqua, ſed vnctuoſa vnà cũ terræ aliquã portione.

Notandum eſt aquam puram nunquam

poſſe nec per elixationem concreſcere, nec per aſſationem, ſeu per ſiccum calidum, nec per frigus vllum, vt inferiùs patebit.

Probatur materiam prędominantem in gemmis perſpicuis eſſe aquam, quia ex cineribus talium lapidum ſicut & ex cineribus plumbi, ferri, auri, &c. per vehementiſſimum ignem poteſt extrahi liquor, ita vt inde poſſit fieri vitrum perſpicuum: ergo humor ille eſt materia: quòd autem ſit humor aqueus, inde prob. quòd frigido ſicco concreſcat, ſeu congeletur, vehementi verò calido diſſoluatur, quod eſt ſignum aqueæ naturæ. Quòd autem ſit aqua viſcoſa, probatur; ſola enim aqua nec per elixationem, neç per ſiccum calidum, nec per quoduis frigus concreſcit: ergo eſt huic aquæ aliquid terreſtre permixtum. Deinde probatur tum ex arte vitriaria, tum ex Alchymia; per vtramque enim fiunt vitra & lapides perſpicui ex vapore qui eleuatur propter maximum colorem, & inde aqueſcit, quemadmodum in ollæ ebullientis cooperculo, & in alembico fieri videmus. Verum quidem non ita perſpicua fieri opera iſtarum artium. Ratio eſt, quòd hæ artes magno labore & ſæpe cum errore opera ſua exequantur: Natura verò & facilè & ſine errore facit, propterea quòd faciat per impreſſiones cæleſtes,

& virtutes, ideóque ope intelligentiarum, vel nunquam, vel rariſsime errantium propter materiæ inæqualitatem : Artes autem pleræque, præſertim verò Vitriaria & Alchimia nihil aliud ſunt quàm mendicata ſuffragia ignis & ingenij, vt ait Albertus M.

Præterea hanc materiam eſſe aquam conſtat, quòd ſæpe in locis vbi generantur lapides perſpicui inueniatur aqua. Præterea conſtat ex perſpicuitate: licèt enim ignis & aër ſint elementa perſpicua, tamen ignis & aëris perſpicuitas non remanet, ſed eſt corruptibilis : ſed perſpicuitas aquæ conſtans eſt. Tandem non magis hoc conſtare poteſt quàm ex *Chryſtallo* (vt vocant) *de roca:* experientià enim conſtat ex aqua affluente naſci, aut ſaltem ex aqua quæ vel in lapidibus eſt incluſa, vel ſaltem quæ fit ex aëre incluſo.

De forma lapidum ſubſtantiali.

Potiſsimùm quæritur vtrum Lapides viuant, ſiue eorum forma ſit anima, vt Cardanus voluit, & Campanella, &c.

Notandum eſt animam potiſsimùm diſtingui ab aliis formis, per hęc tria; vel quòd efficiat ſenſum & cognitionem, vel quòd efficiat certum motum localem in corpore, vel quòd efficiat certam figuram: hinç

Digitized by Google

nulla res eſt viuens quæ non moueatur localiter, ſi non ſecundùm totum, ſaltem ſecundùm partes, vt ſolent arbores quæ creſcunt. Item omnis res viuens habet certam figuram: conſtat ex foliis, floribus, fructibus, animalibus, Lapides non habent animam ſentientem. Probature Vbicumque eſt ſenſus, ibi poteſt eſſe dolor & voluptas: hæc autem non ſunt in lapidibus; nam ſignum voluptatis eſt cùm id quod voluptate afficitur, dilatatur, vt videmus in homine per riſum. Cùm autem dolore afficitur, ſignum eſt cùm contrahitur, vt videmus tum in hominibus, tum aliis in animalibus ſeſe corrugantibus propter dolorem; nihil autem ſimile eſt in lapidibus. Sed vtrum habeant animam vegetantem qualem habent plantæ, ideò dubium eſt, quòd ſaltem aliqui lapides certam habeant figuram ſemper, vt eſt criſtallus de roca, quæ ſemper eſt ſexangula, quemadmodum & flocci niuis ſunt ſexanguli dum ſunt parui. Propterea criſtallus non creſcit tantùm per appoſitionem, quomodo aqua creſcit cum aquæ appoſita alia intumeſcit: ſed criſtallus per intus ſuſceptionem manifeſtiſſimè creſcit, vt per venas criſtalli exemplo manifeſto oſtendetur. Ergo ſtatuendum eſt eos lapides viuere qui certam ſemper

habent figuram & determinatam, vt videre eſt in cryſtallo.

Obiic. Anima eſt forma corporis organici ſiue heterogenei: ſed omnes partes lapidis ſunt lapis: ergo lapis non eſt heterogeneus, ideóque nec organicus & hinc non habebit animam.

Reſpond. hoc vt plurimum verum eſt eſſe corpus organicum rerum viuentium, non tamen abſolutè: certum enim eſt carnem viuere, oſſa, cartilagines, &c. & tamen quæuis pars carnis eſt caro, & quæuis pars oſſis eſt os, &c. ergo non abſolutè verum eſt corpus viuens eſſe organicum. Deinde Organicum malè interpretantur tantùm eſſe heterogeneum: ſufficit enim vt heterogeneum, dicatur eſſe ad certam figuram determinatum, vt videre eſt in radicibus, foliis, &c. quamuis dici poſſet adhuc duplicem eſſe vitam, vnam in habitu, quomodo viuunt ſemina, lapides, &c. aliam vitam eſſe in actu, quomodo homo rationaliter viuit cùm ratiocinatur; ſenſibiliter verò cùm ſentit. Iam autem lapides non tam videntur actu viuere quàm habitu, cùm ad certam peruenerunt figuram & terminum; aliàs nec vrſi, nec marmotæ, ſeu mures montani, nec arbores hyeme dicerentur viuere, quandoquidem nullum hyeme ſit ſignum vitæ in prædictis.

Digitized by Google

Lapides non habent formam imperfectam eo modo quo Meteora: nam hæc non diu manent, quia ſunt imperfectè mixta, vt nubes, pluuia, grando, &c. lapides verò diu manent & conſtanter. Deinde mixta imperfecta, vt meteora, non habent aliam virtutem quàm elementa: lapides autem admirabiles habent virtutes ex quibus forma propria & diſtincta lapidum conijcitur; ſic Magnes attrahit ferrum: ſic Amethyſtus ebrietatem fugat vmbilico alligatus, &c.

De cauſa efficiente lapidum.

Cauſa vniuerſalis. Cælum, potiſſimùm verò planeta Martis: Cauſæ particulares continent virtutem mineralem formatiuam lapidis. Vt enim in ſemine virtus eſt formatiua animalis & plantæ, ita in terræ viſceribus, aut etiam in aquis & animalibus eſt vis formatiua lapidum, quemadmodum cùm animalia naſcuntur ex putri materia, in materia eſt vis generatiua à cælo quaſi transfuſa. Sunt autem huius virtutis duo inſtrumenta, calor nimirum, & frigus, non autem calor adurens; ſic enim non fierent lapides, ſed potiùs cineres: ſed calor ſolaris ſeu cæleſtis in materia elementari, ſcil. in terra & aqua, quem calorem vis formatiua regit, ideóque vix per Alchymiam lapides fieri poſſunt

propter calorem ignis adurentem.

Secundum inſtrumentum eſt frigus, quod licèt non ſit neceſſarium ad opera animæ & vitæ, neceſſarium tamen eſt ad lapides vt fortius coagulet & conſtringat.

De locis in quibus lapides generantur.

Primò in omnibus animalibus, vt in buſone lapis Bufonius, in multis ſerpentibus lapis Serpentinus, in capris Indicis Bezoard; in hominibus enim tantùm in renibus & veſica, ſed in aliis etiam partibus, vt in cerebro, in pulmonibus. Vide Geſnerum de Lapidibus.

Naſcuntur in ripis fluminum, præſertim decurrentium. Item in aquis, & ex aquis, vt apud Aruernos. Refertur Fridericus Imper. miſiſſe chirotecam ſigillo obſignatam in Gotthiam vt experiretur vires alicuius fontis: itaque immerſa in mediam partem chiroteca, lapideam induit vnà cum ſigillo naturam, reliquâ parte vt anteà permanente: & duabus leucis Senonibus fons diſtat Veronius, qui plantas lapideſcere facit, &c. Vide ſimilia in Admir. Galliæ.

Montes præſertim continui lapides producunt, rarò enim montes ſunt abſque lapidibus, & illi ordinariè vel non ſunt magni, vel ſolitarii. Item in terræ planitie, vt videre eſt ſuburbana Pariſina lapidum feraciſſima.

Item in nubibus; hinc enim lapis fulmineus deiicitur.

Opus autem eſt vt terra ex qua generatur bene ſit compacta, vt conſtat ex montibus: vnde etiam mirabiles criſtalli naſcuntur.

Sunt etiam maria producentia lapides, & plantæ induunt lapideam naturam, vt Corallus, aliæque ſimiles.

Quemadmodum autem Gummi ex arboribus defluit, & induratur, quod aliàs in arboribus ſi remaneret conuerteretur in folia, flores & fructus; ita aqua humida viſcoſa quæ vel ex terra elicitur, vel terram penetrat, in lapides tranſit, præſertim verò vbi locus bene eſt concluſus, aliàs enim in vapores omnia abeuut.

DE PROPRIETATIBVS & accidentibus lapidum.

De variis figuris.

SÆPE videre eſt in ipſis ſaxis mediiſque lapidibus diſſectis varias figuras à natura expreſſas. Sic Albertus M. Venetiis vidit in marmone ſecto figuram expreſſimam regis coronati. Sic hodie in Specula Begleemitana figura ſenis conſpicitur. Tales

impreſſæ; de quibus iam. Hæ Imagines triplices ſunt naturales, vel exaratæ, & inciſæ, vel eleuatæ & quaſi expreſſæ, vel nullâ ſuperficie extante tanquam pictæ, ſiue iiſdem cum lapide coloribus, ſiue aliis.

Hæ omnes à natura fiunt per varios vapores à calore eleuatos, & in materiam impreſſos, & virtute cæleſti formatos: quod ita oſtenditur: 1. videmus varios vapores & exhalationes in nubibus varias exprimere figuras. Si igitur vento non diſſiparentur, aut per nouos vapores eleuatos, qui priorem diſiiciunt figuram nubium, aut ſi eſſet natura quædam tenax & comprehenſiua quemadmodum eſt in terra, ſine dubio figuræ illæ permanerent. 2. Quemadmodum de noſtris dictum eſt, vis cælorum & conſtellationum ſæpe in ſemine humano monſtri ſimilem efformat figuram, propterea quòd talis conſtellatio generatiua & conformatiua alterius figuræ quàm humanæ: ita etiam ſæpe in aliis animalibus, vt in porcellis, vaccis figuram fermè facit capitis humanam, non tantùm propter commixtionem ſeminum, ſed etiam ſine iſta commixtione, imò etiam ſine imaginatione: ita ex variis vaporibus eleuatis, & in molli materia, qualis eſt lapidum pretioſorum, effigiat virtus illa figuras. Rariùs autem

in lapidibus vulgaribus, quia materia enim craſſa eſt & inobediens, ſicut vndere eſt ex ſemine humano concepto & recenti ob mollitiem varias imprimi fœtui figuras & næuos: quo tamen poſteà fieri non poteſt iam formato cerebro, oſſibus. Ita potius ex ſubtili gemmarum materia quàm ex craſſa ſilicum tales fiunt à cælo per varios vapores quos cælum regit figuræ. Quemadmodum autem ſigillum molli ceræ facilè imprimit figuram; ita etiam materiæ in viſceribus terræ molli antequam concreſcat facilè Natura efformat & quaſi ſigillat.

Natura quòd faciat etiam eleuatas figuras, & etiam alias quaſi depreſſas monſtrat Albertus Mag. exemplo conchæ repertæ in piſce, in qua ſerpentes eleuati tam in ſuperficie concaua, quàm in conuexa fuerunt reperti ex eadem materia lapidea. Alia adhuc cauſa eſt quòd ſæpe vis ſit in aquis generatiua lapidis: ideóque aliquando aues decidentes vnà cum nido lapideſcunt, adeóque vt vocant, petrificantur: Et quod in Mirandis oſtendi, etiam in vtero materno infans in lapidem conuerti poteſt.

De virtute varia & mira lapidum præſertim prætioſorum.

MVlti arbitrantur eſſe nugas, ſed errant; Nam cùm lapides habeant formam ſubſtantialem diſtinctam, etiam habebunt alias atque alias virtutes tanquam effectus & proprietates. Alii exiſtimant nihil aliud eſſe has virtutes quàm virtutes elementorum ſcil. cùm componantur ex elementis vires lapidum eſſe non alias quàm miſcibilium elementorum: ſed errant. Nam nihil eſt in natura quod non habeat propria & ſuæ ſpeciei conuenientem operationem, adeóque conformem ſuæ formæ ſpecificæ; ſic rudere aſini, hinnire equi eſt ſpecifica virtus & operatio: ergo & lapides habebunt primas & conformes ſuæ ſubſtantiæ operationes: ſic magnes attrahit ferrum: ſic adamas præſens magnetis aliquo modo virtutem debilitat: ſic multi ſapphirri ἄνθρακες curarunt. Verum quidem eſt duplicem eſſe in omni corpore mixto virtutem; vnam quæ communis eſt cum elementis; v. gr. calefacere, humectare: aliam verò propriam, quæ formam ſequitur ſubſtan-

tialem : ſic Intelligere , Ridere proprium eſt hominis.

Sed obiiciunt, Multò nobiliores virtutes adſcribuntur lapidibus pretioſis quàm plantis & animalibus, quæ tamen cùm ſint nobiliora , nobiliores debent habere virtutes. Reſp. non valet. Etenim in natura quo aliquid nobilioribus occupatur, eo inferioribus occupatum eſt : quod probo ; Homo enim licèt nobiliſſimus, non ita mutationes temporum & horarum ſentit vt ſentiunt pulli, aliáque animalia. Idem homo cùm ſummè intentus eſt meditationi, apertis oculis non videt præſentes, quod ſignum eſt nobilioribus occupatum ab inferioribus abſtrahere : ergo cùm animalia ſint nobiliora lapidibus , non eſt mirum non eas habere virtutes quæ inſunt lapidibus; hę enim ſunt inferiores virtutibus animalium. Reſp. 2. admirabiles eſſe animalium virtutes & plantarum , imò & excrementorum , certè enim ſtercus luporum contra peſtem valet.

Nota tamen etiam ſuam quaſi eſſe mortem lapidibus pretioſis , virtutes interire; quandiù enim ſunt in locis naturalibus vegetâ ſunt virtute: ſed cùm diu fuerunt extra loca , virtus paulatim deficit, licèt hoc non tam facilè notare poſſimus in colori-

bus, niſi longo tandem poſt tempore.

Iterum virtutes ſunt in lapidibus eiuſdem ſpeciei iam præſtantiores, in aliis minus præſtantes, in aliis verò omninò nullæ: quod accidit duplici ratione, vel propter diuerſas conflationes & contrarias, vel propter materiæ craſſitiem, qua de cauſa homines etiam alios aliis præſtãtiores eſſe cernimus; vel ratione conſtellationum ſub quibus concepti natique ſunt: vel ratione locorum, vel ratione ſeminis ex quibus ſunt efformati.

DE METALLIS.

HÆC eſt pars ſecunda Corporum perfectè mixtorum non viuentium, & Lapidibus opponuntur, quòd hi ſint friabiles, metalla verò maximè liquabilia.

De Metallorum cauſis.

Cauſa efficiens eadem eſt quæ & lapidum tam vulgarium quàm pretioſorum, ſc. virtus cæli metallaris, & in viſceribus terræ virtus metallifica. Vt enim in quouis ſemine virtus eſt quædam formatrix, vt in ſemine vitis eſt vis efformandi vitem; ita in viſceribus terræ virtus metallifica tanquam in ſemine reſidet.

Aliqui putauerunt ſolum frigus per con-

gelationem eſſe cauſam metallorum. Probant, Per congelationem & concretionem metalla conſiſtunt, & per calefactionem diſſoluuntur, corrumpuntur, & deperduntur: ergo frigus eſt cauſa efficiens. Errant tamen, quia metalla remanent ſiue per calorem liquefiant, ſiue concreta & coagulata maneant. Cauſa ergo efficiens non eſt ſolus calor, nec ſolum frigus, ſed calor moderatus & directus.

Probatur eſſe calorem. Materia metallorum eſt aliquid humidum in quo eſt terram & ſubtile digeſtum, quod ſi aduratur habet odorem ſulphuris: ergo cùm ſulphur calore fiat, etiam metalla per calorem fient. Probatur 2. Quæcumque liquida ſunt & fluida, & poſteà concreſcunt, per calorem fiunt: Talia autem ſunt metalla. Probatur tertiò: Quoduis elementum ab altero fugit, eſto enim quod aqua deſcendat, aſcendit tamen à terra: ergo ex ſua natura non commiſcentur: opus ergo eſt calore qui ea miſceat. Quòd autem non ſolus calor & abſolutè ſit cauſa efficiens, probatur. Nimius calor incineraret, ſiue calcinaret materiam metallorum, ſemper deſiccando humidum, & adurendo terreſtræ, & hoc modo nunquam metallum generaretur: ergo opus eſt calore digerente, terminante, & qui ſit directus

ab aliquo quemadmodum regitur inſtrumentum. Sicut enim in artibus fit vt per inſtrumentum explicetur & fiat forma artificialis, v. gr per malleum: ita natura cæleſtis tanquam efficiens principale regit calorem vt digerat, non adurat, & vt ſeparet heterogenea ab homogeneis, & ſic tanquam inſtrumentum ſit cæli, quo mediante cælum producat & explicet formam metallorum.

De loce Metallorum.

Locus non tantùm conſeruat: ſed etiam generat locarum, præſertim verò terra quæ potiſſimum eſt mater non tantùm omnium aliarum rerum, ſed præſertim lapidum & metallorum. Ratio eſt, quo ſunt radij cœleſtes magis vniti, eo plura poſſunt producere: ſed radij omnes, omnéſque virtutes & influentiæ cæleſtes, vt ait Ptolemæus, in terra tanquam in centro vniuntur, ideóque terra admirabilium rerum cauſa eſt magis quàm vllum aliud elementum.

Notabis: quemadmodum duplices ſunt fructus arborum, nempe genus pomorum & genus nucum, ita vt in nucibus exterius & quod apparet ſit cortex durior, quod verò internum eſt ſit molle: in genere verò pomorum externa ſunt mollia, interna duriora, vt apparet in pomis armeniacis,

perſicis, &c. Et quemadmodum duplex eſt genus animalium, vnum teſtaceum, in quo externa ſunt duriora, interna molliora, vt patet in oſtreis, cancris, teſtudine, cochleis: alterum verò in quo externa ſunt molliora & carnea, interiora autem duriora, ſiue oſſea, &c. patet in homine. Ita in Mineralibus, terra, lapides & metalla producit. Lapides quidem quorum externa ordinariè nihil aliud ſunt quàm terra circundans mollis, aut aqua, aut nubes, &c. metalla verò quæ ordinariè reperiuntur in ſaxis, lapidibus, montibus, & horum exteriora ſunt duriora, ipſamet verò metalla ſunt molliora. Ergo metalla reperiuntur vel inter arenas fluuiorum, præſertim aurum, vel in ipſis lapidibus & ſaxis, & hoc tripliciter: Vel enim incorporata reperiuntur ipſis ſaxis, vel tanquam per venas, vel mollia adhuc poſteriora ſunt puriſſima. 2. loco autem ſunt ea quæ in venis reperiuntur, prima vero difficulter ſeparantur. Et licèt varia ſint genera metallorum, potiſſimùm tamen ſeptem enumerantur quæ propter aliquam conuenientiam cum planetis nomine planetarum tam ab Alchymiſtis quàm à Phyſicis nominantur, ſcil.

Plvmbvm eſt Saturnus: Stannvm eſt Iupiter; Ferrvm eſt Mars: Avrvm eſt

Digitized by Google

Sol: Æs eſt Venus: ARGENTVM VIVVM eſt Mercurius: ARGENTVM eſt Luna.

Quare autem ſic vocentur ſicut & lapides, quare nomine ſtellarum, in ipſomet Curſu Phyſico dicetur.

De cauſa finali Metallorum.

Triplex in rebus Phyſicis eſt finis: primus ratione totius: ſic quævis pars Mundi, ideóque & Metalla ſunt propter Mundum Secundus finis eſt ratione præſtantiſſimæ partis, ſic res omnes ſunt propter hominem, ideóque & metalla, eo modo quo omnes Galli ſunt propter Galliam aut Regem. Tertius eſt proprius, & nihil aliud eſt quàm ipſamet forma; generationis enim finis eſt forma quæ producitur.

De Cauſa formali Metallorum.

Plato formam eſſe ſpeciem & numerum, id eſt, in metallis eſſe qualitates terreſtres & elementares, ac ſpeciem ſeu formam à cælis datam, ideóque metallum perfectius eſſe in quo virtutes cæleſtes ſuperant, imperfectius autem in quo qualitates terreſtres. Pleriquе Alchymiſtarum putant aurum eſſe perfectum metallum, & habere perfectam ſpeciem, cætera metalla eſſe imperfecta, & tantum ſecundum magis & minùs differre. Probant, quia eadem eſt materia omnium metallorum, ſc. ſulphur, argentum viuum,

& ſal, ſiue ſulphur tantùm & argentum viuum: Sulphur tanquam maſculum ſemen, argentum viuum velut menſtruum. 2. probant, metalla omnia tantum differunt colore. edore, ſapore, pondere, ſono, quæ omnia tantum ſunt accidentia ſeparabilia. 3. quia alia metalla per artem Alchimicam poſſunt conuerti in aurum; ſignum igitur eſt reliqua metalla eſſe imperfecta.

Reſpondeo Metalla ſpecie diſtinguis; videtur enim valde inconueniens ſi cetera eſſent tantum imperfecta, quòd ſemper ramaneant fixa, ſaltem ſi de argento loquamur: cetera autem habent oppoſitas proprietates auro, vt experientià conſtat.

Ad primam rationem reſpondeo eſſe communem materiam, non tamen inde ſequitur non eſſe alio modo diſpoſitam nec ex materia eadem rectè colligitur eadem forma ſubſtantiális.

Ad ſecundam, hæc omnia ſimul collecta ſigna ſunt ſpecificæ diſtinctionis. Ad tertiam reſpondeo, ab arte tantum poſſe organicè & moraliter produci aurum. Sicut enim Medicus ſanitatem reſtituit, primò purgando & ſeparando ea quæ functionem naturæ impediunt. 2. confortando cor alias qua partes, vt functiones exerceant, nihilominus tamen natura ipſa eſt effectrix ſanitatis:

Ita certum eſt poſſe materiam metallorum ab Alchimia, quæ vna omnium maximè naturam imitatur, preparari, purgari, & confortari. Quibus poſitis natura formam producet, non autem ars.

De materia Metallorum.

Hæc eſt humidum viſcoſum, ſeu aereum, vnà cum terreſtri ſubtilli, ſiue eſt ſulphur & mercurius, ſeu agentum viuum, ſiue vt Ariſtotelici loquamur, eſt vapor viſcoſus, & terreſtris exhalatio. Prob. In omnia enim hæc reſolui poteſt metallum. Deinde omne liquabile eſt humidum, metallum ergo humidum eſt: Quia verò humidum aqueum facilè euolat per ignem; metalla autem liquefacta ſunt permanentiora non, poteſt eſſe tantum humidũ aqueum, ſed etiam viſcoſum. & aereum, ſine oleaginoſum. Sed quia oleaginoſum facilè in cenditur, aurum verò & argentum fixa ſunt, ignique reſiſtunt, ideò duplex eſt humidum viſcoſum. vnum inflammabile, non autem alterum, vt in Phyſica docebitur.

De Mineralibus mediis.

Quia lapides non ſunt liquabiles, & metalla ſunt liquabilia & ductilia, ſiue malleabilia, lapides autem friabiles, ideò media vocantur corpora mixta, quæ ad vtrumque conducunt, & ex vtroque retinent, *id* eſt

partim liquabilia ſunt, partim non ſunt.

Præcipua ſunt ſucci, & terræ pretioſæ, videl. omne genus Aluminis, Arſenicum, omne genus atramenti, quocumque ſit colore, præſertim verò Vitriolum, Electrum:
Omne genus Margaritarum:
Omne genus Nitri:
Omne genus Salis.

De Corpore animato, ſeu Vivente.

Alij inſcribunt hanc poſtremam Phyſicę partem de Anima: ſed corpus naturalę quia animâ & materiâ conſtat, cùm ſit animatum, nobis tam de Anima, quàm de materia dicendum erit.

De exiſtentia corporis animati ſeu viuentis.

Corpus viuere, ſeu Animatum eſſe hoc ſyllogiſmo concluditur: Quicquid habet operationes ſupra materiam eleuatas, illud animatum eſt, ſeu viuit: ſed multa corporum tales habet operationes: ergo multa viuunt.

Operationes autem ſupra materiam hæ ſunt: Prima eſt *certa figura:* nec enim metalla aut elementa certam habent figuram, ho-

Google

mo autem ſemper habet eandem: nec vnquam figura arboris conueniet homini aut è contra. 2. eſt creſcere per *intus ſuſceptionem*, quo modo plantæ hauſto alimento creſcunt quoquouerſum, id eſt ſurſum, deorſum & ad alias partes.

Obiic. Cùm aqua in aliam infunditur, intus ſuſcipitur, & ſic aqua creſcit, nec tamen aqua viuit. Reſp. Viuentia non tantum intus ſuſcipiunt alimentum, ſed etiam conuertunt in ſuam ſubſtantiam; vt planta conuertit aquam in ſuam ſubſtantiam, plantæ ſcil. Sed aqua ſi ſuſcipiat intus aut terram, aut aliquid aliud, non poteſt conuertere in ſubſtantiam aquæ.

Tertia operatio eſt *moueri propriis viribus de loco in locum*, ſiue vniuerſaliter totalem locum mutent, vt cætera animalia; ſiue tantum locum particularem, vt fœtus in vtero materno, & zoophyta, v. gr. oſtrea, quæ ſeſe mouent tantum contrahendo & dilatando: ita & plantæ ſaltem per augmentationem ſe mouent, ſiue particulariter alium acquirunt locum.

Quarta operatio eſt *cognitio*, præſertim cum ſimile, id eſt cùm in ſpeculo eſt imago arboris; ſpeculum non cognoſcit arborem: Cum autem in oculo viuentis eſt imago arboris, oculus cognoſcit arborem.

Digitized by Google

Hic actus ſeu forma eſt duplex, ſc. Accidentalis, qui non dat eſſe ſubſtantiuum, nec nomen rei mutat, ſed tantùm dat eſſe accidentale, & nomen adiectiuum, vt albedo non facit eſſe hominem, nec mutat nomen hominis, ſed tantùm dat album & nomen adiectiuum. Alius actus eſt *ſubſtantialis*, qui dat materiæ eſſe ſpecificum ſubſtantiale & abſolutè, ac nomen mutat rei, vt forma arboris facit eſſe arborem, & cùm anteà eſſet terra, mutat nomen terræ, & dat nomen arboris. Anima igitur eſt talis actus ſubſtantialis. Sed conſiderari poteſt Anima vel vt eſt actus primus, vel vt eſt actus ſecundus. Priori modo Anima eſt actus dans eſſe, v.gr.dat corpori eſſe animatum: poſteriori m do anima eſt actus dans corpori, operari ſcil.dat anima moueri, intelligere, ſentire, vegetari: vtrumque autem per ſeipſam facit; per ſeipſam enim dat viuere corpori, & per ſeipſam mouet & facit cæteras operationes. Simile fermè eſt de Luce & Scientia. Lux in actu 1. eſt quæ dat corpori eſſe lucidum, vt lux ſolis quatenus ſoli dat eſſe lucidum. Lux verò in actu 2. eſt quæ luceſcit, & ſeſe per ſeipſam diffundit. Ita ſcientia in actu 1. facit hominem ſcientem, etiamſi dormiat: in actu vero ſecundò hominem facit operantem & contemplantem.

Licèt igitur Anima det eſſe vitale, & operationes vitales, tamen non neceſſarium eſt vt vbi eſt anima, ibi ſit operatio vitalis. Etenim in homine dormiente non eſt operatio rationalis, nec ſenſitiua, & tamen homo habet animam rationalem & ſenſitiuam etiam dormiens. Ita ſemina & animalia quæ hyemem dormiunt totam, vt vrſi, glires, non habent operationem vegetatiuam, nihilominus tamen habent animam vegetantem. Anima igitur quatenus eſt actus primus vocatur ἐντελέχεια, ſeu perfectio: quatenus eſt actus ſecundus vocatur ἐνδελέχεια id eſt, continuata motio, vnde illa controuerſia de hoc vocabulo à me ſublata eſt. Dicitur (actus corporis phyſici) non autem actus corporis artificialis: nam actus artificialium dant tantùm eſſe, non operari; v. gr. figura gladij eſt forma corporis artificialis, figura nullam dat actiuitatem, ſed tantùm eſſe figuratum; anima autem dat eſſe viuens, & operari. Dicitur (corporis organici) id eſt quod varias habet partes, variáſque figuras propter varia officia. Etenim formæ naturales quæ non ſunt animæ, cùm ſint tantùm ad vnum deſtinatæ, vt forma lapidis, non habent diuerſitatem partium, ſed tantùm partes ſimilares, quia vbique ſimilem habent actionem: Anima verò quia quemad-

quemadmodum ars varia officia exercet; habet diuerſas partes tanquam inſtrumenta, ſicut ars diuerſa habet inſtrumenta. Deinde reliquæ formæ ex materia quaſi emergunt, & omnino ſunt materiales: Animæ autem propiùs accedunt ad cauſam primam, & ad cælum, ideò ſunt magis actiuæ, ideóque plura habent inſtrumenta.

Non tantùm pars inſtrumentaria intelligitur quæ eſt heterogenea, vt in manu, ſed etiam pars homogenea, dummodo habeat diuerſitatem figurarum, vt oſſa, licèt ſint homogenea, habent tamen varietatem figuræ, ideóque oſſa ſunt organica. Hinc Ariſtoteles, ait, Quo aliquid diuinius eſt, eo plures habet formas, & figuras: & certè homo diuiniſſimus eſt ob varietatem figurarũ & partium.

Quæres vtrum partes mortuæ ſint organicæ, & eſſentialiter quædam cum viuentibus? Reſp. Si à malleo figura, ſeu forma, ſeu actus mallei abeſſet, certè malleus non ampliùs eſſet malleus; nihil enim tale eſt niſi per ſuam formam & actum. Iam igitur cùm anima ſit actus ſubſtantialis, & primus corporis organici, ſiue partium organicarũ, cùm anima aberit, certè actus & forma aberit; atque ita oſſa hominis mortui, cùm nullum habeant actũm, nec quoad eſſe, nec

quoad operari, non amplius erunt vniuocè oſſa: ſic enim cùm actu oſſium careant, non poſſunt eſſe oſſa, nec operari vt oſſa, Ex hoc colligi poteſt cùm cælum habeat ex ſe certam figurã, illum eſſe organicum, ideóque animatum ſiue animâ aſſiſtente, ſiue informante. Etenim angelus mouens non dat eſſe cælo, ſed dat moueri, ideóque eſt anima aſſiſtens. Vt autem ars habet certa inſtrumenta quæ mouet, ſed in illis non eſt, ita Angeli habent cælos in quibus ſunt pro inſtrumentis, & mouent: anima verò informans & mouet corpus in quo eſt, & ipſi dat eſſe viuens, ſeu animatum. Dicitur (potentiâ vitam habentis.) Duplex eſt potentia, vna materiæ ad formam ſeu habitum, quo modo alimentum habet potentiam ad vitam. Alia potentia eſt formalis, ſeu habitualis ad actum: quo modo anima dormientis philoſophi habet potentiam formalem ad vitam, id eſt, ad actum ſecundum, id eſt, ad operari.

Secunda deſcriptio partim collectiuè, partim diuiſiuè intelligitur: poſteriora enim præſupponunt priora, non autem è contra: hoc modo anima eſt primum principium vel vegetandi tantùm: Sic eſt anima vegetans: vel mouendi tantùm, ſic eſt anima cæleſtis ſeu informans, ſeu aſſiſtens: vel vege-

tandi, ſentiendi, & appetendi ſimul (ſic ſunt animæ zoophytorum) vel vegetandi, ſentiendi, appetendi, mouendi ſimul: ſic ſunt animæ perfectorum brutorum: vel geſtandi, ſentiendi, appetendi, mouendi, ratiocinandi: ſic eſt ſola hominis anima.

De cauſa materiali corporum animatorum, præſertim HOMINIS.

Hic prima Anatomiæ fundamenta traduntur.

CVM Anima ſit actus corporis organici tanquam materiæ quam informat, aut etiam ſeminis ex quo anima emergit (exceptâ humanâ) de vtraque dicendum eſt. Non autem hoc rectiùs dici poteſt quàm ex Anatomicis, non dico Medicis, ſed Phyſicis, præſertim ex Ariſtotele de partib. animal. & Theophraſto de Plantis, & Scaligero Commentatore, & Plinio.

Materia corporis animati vel eſt prima, de qua hîc non loquor, vel eſt ſecunda, de qua loquor: & hæc eſt duplex, vel materia alterationis, vel compoſitionis. Prior eſt ex qua alterata mutatáque aliquid fit viuens, v.gr. homo ex ſemine & ſanguine materno,

quæ ſunt duo principia materialia hominis: & hæc alterari & mutari debent ſubſtantialiter antequam in ea introducatur anima rationalis, quemadmodum ſignum ſubſtantialiter mutatur antequam introducatur forma ignis. Materia compoſitionis eſt corpus ipſum organicum, ſiue ſecundùm alios, pars organica, & fortè etiam ſimilaris, quatenus nimirum certam figuram habet. De hac etiam dicendum.

Multi arbitrantur eſſe indignam Philoſopho contemplationem partium in animalibus & homine. Reſpondeo primò, Eſto multas partes viſui eſſe ingratas, tactui, & odoratui; v. gr. inteſtina, nihilominus gratiſſimas eſſe intellectui. Nam libenter aſpicimus imagines viliſſimorum animalculorum, quia ingenium artificis in illis admiramur; ita in partibus etiam abiectiſſimis ingenium Naturæ & Dei efficientis eluceſcit. 2. In partibus non tam materia quàm finis conſiderandus, Natura enim nihil facit fruſtrà, ſed omnia ad aliquod bonum dirigit. 3. Spectanda eſt forma admirabilis, ſicut enim non quærimus nec admiramur lapides, calcem, & cæmentum ex quibus palatium ædificatum eſt, ſed formam & ſtructuram; ita etiam formam & animam conſideramus in partibus ac ſtructuram. 4. Si hæc

ratio valeret, deberemus noſipſos horrere, nec enim ſanguinem, nec carnem inciſam & vulneratam cum voluptate intuemur, ſed cauſæ horum indagandæ delectationem afferunt: ergo nihil eſt in natura animatorum abſurdum.

Maximè verò corpus humanum conſiderandum eſt, propterea quòd ſit regula cæterorum; quia nimirum præſtantiſſimum eſt. 2. quia ſolum eſt rectum & ſpectans surſum ipſius mundi, ſcil. cælum. 3. quia cætera animalia omnia ſunt pygmæi, pygmęus enim eſt cuius inferiora ſiue artus ſunt breuiores, ſuperiora longiora. Iam autem ſi comparemus ſuperiorem partem quæ eſt ab imo ventre ad caput, videbimus cætera animalia eſſe pygmæa, non autem hominem, ſi infantes recens natos excipias.

Materia igitur animæ vel eſt totum corpus organicum, id eſt, vniuerſitas partium, vel eſt etiam pars quæuis: nam & corpus totum ſuam habet actionem, & pars quæuis ſuam propriam. Actio totius corporis quatenus nimirum totum, eſt motus vnus. Item ſympathia omnium partium & conuenientia quâ omnes partes conſpirant in vnum. Vnius autem animæ eſt inſtrumentum totum corpus in quo habitat; nec enim anima poteſt eſſe in diuerſis & ſeparatis inſtru-

mentis, ſiue in ſeparatis totis, ſiue in ſeparatis partibus. Corpus igitur totum eſt organicum, ſiue inſtrumentarium ad actiones animæ varias execendas.

Quia verò Totum componitur ex partibus diſſimilaribus, ver. gr. ex capite, trunco, artubus: partes verò diſſimilares componuntur ex ſimilaribus, vt manus ex carne, quæ eſt pars ſimilaris, ex oſſibus quæ ſunt partes ſimilares: partes autem ſimilares componuntur ex elementis, quæ ſunt duplicia, alia nimirum elementa animalium perfectorum, præſertim verò hominis, ſc. ſanguis maternus, & ſemen, ex quibus ſimlares partes componuntur: vel ſunt elementa remota, & prima, ſc. ignis, aër, aqua, & terra: ideò remota materia ſunt elementa, remotè ſanguis & ſemen; propinqua, partes: propinquiſſima totum corpus, reſpectu ipſius animæ.

Pars, particula, membrum, locus, plerumque idem ſignificant.

Pars eſt corpus toti cohærens ad functionem & vſum. Pars ergo non eſt vndequaque ex ſe circunſcripta, aliàs eſſet totũ. ſed toti cohæret duobus modis, quantitatiuè nimirum, & ſubſtantiuè: pars enim abſciſſa non ampliùs pars eſt, quia per quantitatem non cohæret cum toto: pars verò arida, aut

per gangrænam mortua, licèt quantitatiuè cum toto cohæreat, non tamen pars eſt, quia non habet actum ſiue animam, ſiue ſubſtantiam partis.

Functio autem partis & Vſus diſtinguuntur: Functio enim eſt actio, vſus verò vel eſt ante actionem, vt aptitudo, vel poſt actionem, vt opus, vel etiam ſine actione, quomodo pili, licèt nihil agant, aliquem tamen habent vſum.

Partes in homine vel ſunt homogeneæ ſeu ſimilares, vel ſunt heterogeneę ſeu diſſimilares. Similares ſunt vel quarum particulæ eandem habent cum parte naturam & nomen: ſic quæuis pars carnis eſt caro: vel quæ non idem habent nomen, propter nimirum aliam figuram: hoc modo non quæuis pars venæ eſt caua: vtraque autem tam ſimilaris quàm diſſimilaris eſt organica: ſimilaris quidem propter figuram certam, diſſimilaris propter diuerſitatem materiæ.

Partes diſſimilares ſunt octo, quarum aliæ ſunt ſpermaticæ, ſiue ex craſſamento ſeminis natæ. Sunt autem partes hæ albæ: aliæ ſunt carnoſæ ex ſanguine nimirum natæ. Sunt autem partes hæ oſſa, cartilago, ligamentum, membrana, venæ, arteriæ, nerui, & caro.

Alter partes in homine ſi paulò latiùs ſumantur, ſunt triplices, ſcil. vel contentæ ſiue ſolidæ, vt oſſa, eáque quæ iam recenſui, vel ſunt partes contentæ humidæ & fluxiles, vt ſunt quatuor humores in venis, ſcil. bilis flaua, bilis nigra, ſanguis, & pituita. Sicut etiam humores ex illis nati, quatuor ſcil. ros, cambium, gluten, adeps; vel ſunt partes impellentes, ſiue partes ſpirituoſæ, ſiue ſpiritales; & eſt triplex in homine & aliis ſpiritus, ſcil. ſpiritus naturalis in hepate & venis, ſpiritus vitalis in corde & arteriis, ſpiritus animalis in cerebro & neruis. Primus inſeruit nutritioni, ſecundus inſeruit potiſſimùm ſpirationi & cordis motui, tertius ſenſibus & motui progreſſiuo efficiendo. Eſt autem ſpiritus vel perpetuò influens à cerebro per neruos, ab hepate per venas, à corde per arterias: Vel eſt ſpiritus in quauis parte inhærens; ita in mammis eſt ſpiritus efformator lactis, ita in ſemine eſt ſpiritur procreator.

De Partibus diſsimilaribus & ſimilaribus præcipuis.

Primò eſt Cor, hoc eſt, medium hominis vt animal eſt, non autem medium vt animal mobile eſt; nam hoc poſteriori modo medium eſt Vmbilicus tanquam centrum: Sit enim homo expanſus circinus

extendatur, & pes circini infigatur vmbilico, extrema digitorum tanget alter pes: ergo vmbilicus eſt centrum. Cor verò eſt medium animalis, quia ab infimo ventre ad caput vſque medium tenet, ideóque eſt medium perfectionis: animalia enim ſumus quo ſentimus, & præſertim primo ſenſorio quod eſt in medio, antè, & pòſt. Cùm ergo triplices ſint partes in animali, ſupra nimirum, infra, & medium; Supra in omnibus eſt ea pars quâ ſuſcipitur alimentum, Infra eſt per quod exit excrementum primum, medium verò in perfectis animalibus eſt Cor, in aliis verò aliquid analogum, ideóque cor eſt principium vitæ, & in corde ſunt ſpiritus vitales. Quod autem ſit principium vitæ, inde probatur. Cor in generatione pullorum primo ſtatim die ab incubatione incipiat moueri, ideóque eſt primum viuens & vltimum moriens. Vtrum autem cor ſit princeps pars, an cerebrum, an hepar, dubium eſt: ſed cor cùm ſit primum & vltimum viuens, videtur eſſe pars princeps.

Secundo eſt CEREBRVM, quod nec eſt medulla, nec origo medullæ ſpinalis ſeu dorſi; nam Medulla eſt calida, Cerebrum eſt frigidiſſimum, terram & aquam participans, quòd primo tactu percipiūtur: deinde quod omnium humidorum ſanguine caret.

deinde cùm coquitur, indureſcit, & ſicceſcit humore ſcilicet, exacto & terreſtri permanente. Anima calore ad alendum & mouendum indiget, & cùm contrarium elementum requirat vt mediocritatem aliquam habeat; hinc aduerſus calorem cordis cerebrum eſt habens naturam aquæ & terræ, ideóque in animalibus ſanguineis calidiſſimis cerebrum eſt, in aliis verò non eſt niſi per proportionem. Ne tamen nimis frigidum ſit; tenues venæ in Meninges ſiue membranas cerebrum inuoluentes tenuem afferunt ſanguinem; vnde ſi nimis frigidum cerebrum ſit, fluxiones mouet. Homo proportione corporis ſui plus cerebri habet quàm alia animalia, & plus mares quàm fœminæ, quia plurimùm circa cor & pulmonem ſanguinis & caloris ineſt; ideò calor auctus attollit ſolum hominem rectum; ergo contra plurimùm caloris natura plurimùm frigoris & humiditatis oppoſuit, ideóque ſoli homini admodum os capitis induratur, & ſolus homo habet raphas, id eſt ſuturas & plures ordinariè habet, vt calor poſſit expirare, ex eo in quo plus eſt cerebri. Sicut autem homo plus habet cerebri, ita pro ratione corporis valde paruum cor habet, & notatum eſt meticuloſos eſſe magno corde.

Digitized by Google

Ratione cerebri eſt caput, quod non eſt multâ intectum carne, quia cum per partes nimium carnoſas non tam facilè ſentiamus, & caput potiſſimùm ſenſus causâ datum ſit, ideò non ita carnoſum eſt: Deinde, vt maximè rectus ſit homo; ſi enim multâ carne premeretur, caput non ita attolleretur. Deinde cerebrum non poſſet refrigerare, carne enim impediretur; iam de Carne dicendum eſt.

CARNEM ait Ariſtoteles eſſe principium, & proprium corpus animalium. Probatur 1. Id animal eſt quod ſenſum ſaltem primum obtinet, & neceſſarium ad vitam: ſed ſenſus eſt tactus, eiúſque inſtrumentum ſeu ſenſorium eſt caro: ergo caro eſt proprium corpus animalis. 2. Alia præter carnem facta ſunt oſſa, nerui, &c. ſcil. vt mollem carnem ſuſtineant ſuâ duritie, vt oſſa in homine, vt ſpina in piſcibus, vt cruſtæ in cruſtaceis, vt cancris, vt teſtæ in teſtaceis vt oſtreis. Mollia verò animalia, vt Limaces, naturam quandam mediam habent inter carnem, oſſa, & neruum, quia tale corpus eſt molle vt caro, ſed intenditur vt neruus, & finditur non in directum, ſed per anfractum & ſecundùm latitudinem, ideóque vocantur hæc mollia animalia, aut molaria.

Falſa eſt hæc ſententia, 1. Quis vnquam Logicus genus diuidit in genera & ſpeciem? vt ſi aliquis diuideret Philoſophiam in Sapientiam & Prudentiam, necnon Logicam, is inepte faceret: ita cur Anima diuiditur in Vegetantem & Sentientem tanquam in genera, & in Rationalem tanquam in ſpeciem? 2. Quemadmodum plures ſunt ſpecies animæ ſentientis, vt anima leonis, crocodili, &c. & plures ſunt animæ vegetantis ſpecies, vt anima querna, anima nucis, &c. quid impedit quominùs plures eſſe poſſint ſpecies animæ rationalis? Quemadmodum leo à crocodylo non differt quòd habeat animam ſentientem, ſed quòd taliter ſentientem, ita ſi plures eſſent animę rationales ſpecie diſtinctæ, facerent homines diſtinctos ſpecie, non quòd eſſent rationales, ſed quòd eſſent taliter rationales. 3. Quemadmodum differentia quæ per leoninam animam accedens ſenſitiuæ animæ facit ſpeciem ſentientis nouam; ita differentia quæ vel humanæ animæ ſenſitiuæ accidit facit nouam ſpeciem tantùm ſentientis. 4. Non video cur non poſſit eſſe anima quædam non vegetans, aut ſenſitiua, aut rationalis, ſed anima tantùm mouens, qualem concipere poſſumus in cælis, poſito quòd cælũ non ab angelo, ſed à ſeipſo moueatur.

De anima Vegetante.

Hæc Anima eſt primum principium *vegetandi*, id eſt, nutriendi, augendi, & generandi: non enim alias habet hæc anima potentias, de quibus iam dicendum.

NVTRITIO ſiue alimonia eſt actio, & verſatur circa alimentum, venenum, & medicamentum. Alimentum autem eſt corpus quod in ſubſtantiam rei viuentis conuertitur, vt panis, ideóque alimentum plus mutatur quàm mutet.

Quæritur, an odores nutriant?

Reſpond. non nutrire: Impoſſibile enim eſt vt accidens viribus naturæ conuerti poſſit in ſubſtantiam; natura enim non poteſt tranſire de genere in genus, ideóque nec ex ſubſtantia poteſt facere accidens, nec ex accidente ſubſtantiam.

Venenum eſt corpus, vel quod totâ ſubſtantiâ vel qualitate ita repugnat viuenti, vt id penitus immutet & extinguat.

Medicamentum eſt corpus quod qualitate ſuâ partim immutat viuens, partim mutatur. Etenim Senna, v. gr. mutatur quatenus calore noſtro excitatur cùm aſſumitur, mutat verò quatenus qualitate ſuâ in corpus noſtrum agit.

Nutritionis finis eſt vt reſtauretur deperditum, calor enim naturalis in corpore ſem-

per agit, & abſumit aliquid tanquam ignis in lampade oleum. Niſi ergo pars deperdita per alimentum reſarciretur, breui interiret viuens; quandoquidem vita nihil aliud ſit quàm permanſio calidi in humido, ideóque omne alimentum humidum eſt, non aqueum; hoc enim extingueret calorem, ſicut & aqua extingueret lampadem: ſed aëreum, id eſt, humidum calidum quod calorem nutrit, qualia humida ſunt viſcoſa omnia & oleaginoſa, vt butyrum, mel, oleum, vinum, lac, &c. Sed quia triplex in nobis eſt ſubſtantia, ſc. ſolida in partibus continentibus, humida in partibus contentis, ſpiritalis in partibus impellentibus, de quibus ſuprà; ideò cibo pro primis partibus, pro ſecundis potu, tertiis aëre opus eſt. Hinc omnia viuentia ſi non reſpirent, ſaltem perſpirant admittendo aërem, & expirando, quo modo etiam plantæ perſpirant per poros: & vt liberiùs perſpirare poſſint, liberiore libenter perfruuntur aëre. Natura igitur ob hunc finem inſtituit triplicem nutritionem.

Nutritioni variæ actiones famulãtur: prima eſt deſiderium ſeu appetitus nutrimenti. Hic appetitus vocatur fames, ſitis, aſpiratio. Fames eſt appetitus calidi & humidi.

Sitis eſt appetitus ſpirituum ſeu aëris. Hi appetitûs vel ſunt omninò naturales, & ſine cognitione, vt in plantis: vel cum cognitione, vt in animalibus. 2. Inſeruit nutritioni abſtractio, quæuis enim pars hanc vim habet magneticam, vt poſſit ſibi ſimile alimentum attrahere: inde oſſa attrahunt ſanguinem melancholicum, ſitis fellea bilioſum, &c. 3. Eſt *Retentrix*: niſi enim attractum alimentum retineatur, nunquam conuertetur. 4. Eſt *Concoctrix*. 5. eſt *Eiectrix*; cùm enim omne alimentum initio ſit diſſimile, & in fine ſimile, neceſſarium eſt vt quod diſſimile eſt & excrementitium reiiciatur. His poſitis, ſequitur *Aſſimilatrix* & vniens facultas à quibus finaliter fit nutritio cùm alimentum aſſimilatum cætero corpori vnitur. *Augmentatio* eſt altera actio poſt nutritionem. Eſt motus ad quantitatem maiorem: & quia natura nihil ſimul facit & perficit; ideò poſt nata animata illis dat ſuo tempore certam quantitatem & perfectionem. Vt autem Ariſtoteles ait, certum eſt omnes res viuentes certum habere terminum magnitudinis & paruitatis, nec enim homo inſtar montis erit, nec inſtar puncti, ideò falſum eſt quod dicunt aliqua animalia, vt crocodilum, quamdiu viuunt creſcere. Ratio eſt, omne agens agendo repatitur, & debilitatur:

tur: ergo calor naturalis qui continuò in alimentum & in partes viuentis agit, paulatim debilitatur, ideóque non ſemper corpus augere poteſt. Eſt autem idem numero viuens per continuitatem: licèt enim calor quotidie materiam & formam abſumat corporis viuentis, & quotidie nouam materiã, atque adeò formam reponat, nihilominus tamen eſt idem viuens, qua ratione fluuius idem eſt propter continuam ſucceſſionem.

Tertia actio animæ vegetantis eſt *generatio*. Eſt Generatio productio viuentis à principio vitę coniuncto ad ſpeciei ſimilitudinem. Generatio aliquando ſumitur pro omni productione ſubſtantiali, quo modo ignis generari dicitur, aut aqua: ſed hîc ſumitur pro generatione viuentis. Dicitur à principio vitę coniuncto: licèt enim ſol dicatur generare ranas, non tamen eſt generatio propriè, quia non eſt à viuente. Dicitur (ad naturæ ſimilitudinem) licèt enim pediculi generentur, non tamen pediculi ſunt filij hominum, quia non ſunt ad naturæ ſimilitudinem. Definitio generationis etiam generationi diuinæ qua Æternus Pater Æternum generauit Filium conuenit.

Vtrum tam maſculus quàm femella in perfectis animalibus habeant ſemen ad ge-

nerationem? Controuerſia eſt inter Philoſophos & Medicos. Aſſerunt hi, negant illi femellis ineſſe vim ſeminificam. Nam dicunt Medici omnes omninò partes generationi dicatæ eædem ſunt in femellis ac in viris, &c. Sic conciliandi videntur. Licèt in maſculis ſint mammæ, non tamen ſunt lactificæ propriè: ergo licèt in femellis ſint teſticuli latentes, non tamen ſeminifici ſunt propriè. Quemadmodum autem terra calore ſuo humido ſemen quaſi excitat plantarum ad productionem, ita humiditas quædam analoga eſt in femellis.

De Anima Sentiente.

Vocatur hæc Anima à potentia potiſſima quam habet, etenim non tantùm ſentit, ſed etiam appetit & mouet; ſed quia motus præſupponit appetitum, appetitus verò ſenſum tanquam principem, ideò à ſenſu Sentiens vocatur. Sunt ergo tres potentiæ huius Animæ, ſcil. *Senſitiua*, *Appetitiua*, & *Loco-motiua*.

SENSITIVA potentia ea eſt quæ per ſenſum in ſenſorio, & per ſpecies receptas obiectum percipit, v. gr. potentia videndi eſt in oculo tanquam in organo ſeu ſenſorio; & cùm recipit ſpeciem ſeu imaginem arboris in pupilla, tunc percipit, ſiue ſentit, ſiue

cognoſcit; ſimile enim per ſimile cognoſcitur, ait Empedocles 1. de Anima. Senſus omnis partim eſt actiuus, partim paſſiuus; Recipere enim ſpecies eſt pati. Item recipere ſenſationem eſt pati: ſed videre ſeu efficere viſionem eſt agere. Notandum eſt omne excedens ſenſibile ſiue quoad magnitudinem, ſiue quoad paruitatem deſtruere ſenſum. Hinc ſi aliquis ſolem fixus intueatur, læditur, aut ſi quis nimis minutulas inſpiciat literulas. Ratio eſt; Debet eſſe proportio quædam inter agens & patiens, quæ non eſt cùm ſenſibile aut magnitudine, aut paruitate excedit.

Sunt duplices Senſus: alij externi, interni alij. Externi dicuntur quorum organa ſunt externa & apparentia, vt oculus, lingua, aures; & interni ſunt quorum organa latent, & in interiore ſunt corporis receſſu, vt cerebrum, illiúſque variæ cellulæ ſunt organa ſenſuum interiorum. Senſus externi ſunt quinque, Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, Tactus, Ratio inter alias hæc eſt Scaligeri in Exercitationibus, Pro quinque corporibus ſimplicibus, ſcil. pro cælo & quatuor elementis ſunt quinque organa ſenſuum: nam per viſum ſpiritúſque cæleſtes & lucentes in

oculo videmus lumen cæleſte, coloréſque mediante lumine apparentes. Per odoratum ſpiritúſque igneos odoramur res calidas in ſicco & calido potiſſimum exiſtentes. Auditu percipimus ſonum, cuius proprium obiectum. & potiſſimum eſt aër. Per guſtum ſapores qui poſſimùm in humido & in aqueo ſentiuntur. Tactu verò maximè ſentimus frigiditatem & ſiccitatem: & quia contrariorum eadem eſt ſcientia & ſenſus; ideò contactus frigiditatem & ſiccitatem terreſtrem ſentiat, etiam oppoſitum calorem & humiditatem ſentiet.

Senſus interni ſunt quinque, Senſus communis, Imaginatio, phantaſia, Memoria, & Cogitatiua. Senſus communis eſt qui ſpecies recipit, precipit, & aduertit, & diſtinguit inter obiecta ſenſuum. Sæpe enim fit vt licèt ſpecies recipiantur in oculo, tamen oculus non videat, quia ſenſus communis animaduertit, *Imaginatio* ſpecies inter ſe componit & diuidit, vt videre eſt in ſomno, cùm ſæpe hominem alatum, montem aureum ſomniamus. *Phantaſia* eſt quæ ſpecies non ſenſatas recipit, vt cùm ouis lupum tanquam inimicum fugit: nec enim vnquam ouis habuit ſpeciem inimicitiæ. *Memoria* eſt qua ſpecies conſeruatur. *Cogitatiua* eſt per

quam animalia diſciplinabilia & infantes, &c. ſtulti de vno ſingulari diſcurrunt ad alterum ſingulare; ſic canis ſemel baculo receptus alterum fugit.

Potentia appetens ſequitur ſenſum; vſus enim ſenſuũ eſt vt cognita ſi vtilia ſunt proſequamur, inutilia autem ſi ſint fugiamus: & vt anteà vel appetamus, vel abhorreamus. Actiones appetituum vocantur Paſſiones & Affectus animi: de quibus in Morali dixi.

Tertia eſt *Potentia motrix*, hæc enim eſt in omnibus animalibus, ſed tantùm in his quæ non habent id omne quod eſt vtile & neceſſarium in eo loco in quo ſunt; vnde zoophyta & fœtus in vtero, ſicut & pulli in teſta hac potentiâ carent, quia neceſſaria habent, nihilque inimicum: vnde nec proſequi, nec fugere debent. Hæc potentia triplex eſt, vel ſpontanea, vel naturalis, vel vtroque modo. Spontanea eſt quę cognitionem presupponit; quo modo homines mouentur, progrediuntur mouendo, aues volando, piſces natando, vermes rependo, ſerpentes ſerpendo, &c. Potentia naturalis mouendi eſt abſque cognitione, qualis eſt in motu cordis & arteriarum. Potentia media eſt Reſpiratio, quæ ex inſpiratione & expiratione componitur. Naturalis enim

eſt quoad rem, ſed quoad modum eſt ſpontanea: citò enim aut tardè pro voluntate reſpirare poteſt.

DE ANIMA RATIONALI.

Cùm Animæ Rationalis tres ſint pariter potentiæ, *Ratio* ſcil *Voluntas*, & *Potentia motrix*, à præcipua facultate, ſcil. Ratione denominatur.

Vtrum anima rationalis ſit forma corporis naturalis quęritur. Reſpond. Anima rationalis eſt forma & natura hominis. Probatur: Homo eſſentialiter diſtinguitur ab aliis viuentibus, ſed non poteſt diſtingui niſi per formam ſuam ſiue per actum: ſed nulla alia eſt forma hominis quatenus homo eſt quàm anima rationalis. Verum tamen eſt quòd anima rationalis quatenus rationalis non ſit forma corporis organici: nec enim ad hunc motum ſpiritalem, ſiue ad ratiocinium vllo corpore vtitur niſi præparando, anima in ſeipſa recipit cogitationes ſpiritales, non autem corpus, aliàs ſi corpus ſuſciperet, poſſemus dicere, corpus ratiocinatur, quemadmodum dicimus corpus videt; hoc autem dicere non poſſumus: ergo cùm motus ſpiritalis ratiocinationis non communicetur corpori, anima rationalis qua-

tenus rationalis non erit actus corporis organici.

Vtrum Anima ſit immortalis quæritur? Reſpondeo, Si non eſſet immortalis, in actionibus ſuis dependeret à corpore: atqui non dependet. Etenim ſenes cum infirmiori ſint corpore, tamen anima rectius ſe habet quoad diſcurſum: & quo rectius valet corpus, vt in pueris & adoleſcentibus, eo minus rectè anima ratiocinatur: ergo non dependet à corpore. Deindè, corporalia ab obiecto excedente læduntur, vt potentia ſentiendi à nimio lumine, ſed anima rationalis à ſummo obiecto maximè perficitur, vt à Deo, ab infinito, &c.

Aliqui voluerunt probare naturaliter immortalitatem animæ ex apparitionibus defunctorum. Sed nota, naturaliter, poſito quòd ſint Angeli nemo poteſt demonſtratiuè oſtendere apparitiones illas eſſe animarum, non autem Angelorum ſiue bonorum ſiue malorum.

ANIMÆ facultas prima INTELLECTVS eſt, qui res ſpiritales cognoſcit, vt DEVM, aut res corporales, ſed ſpiritali modo, ſc. abſtrahendo ab omni corpore, ab omni figura; vt cum cognoſcit, v. gr. ſubſtantiam arboris ſpiritali modo per ſpeciem ſpiritalem.

Duplex eſt Intellectus, vnus Agens, alter Patiens. Agens eſt inſtar ſolis, ſpecies abſtrahens: patiens autem inſtar oculi, ſpecies recipiens & cognoſcens: non realiter diſtinguuntur, ſed ex vtroque fit intellectus vnus.

Operationes intellectus variæ ſunt, præſertim autem iſtæ; *Simplex intuitus*, *Affirmatio*, *Negatio*, *Iudicium*, *Ratiocinatio*, *Methodus*, *Ordo*, & *Memoria intellectualis*, vnà cum *Meditatione*. De his etiam in Logica.

Secunda potentia eſt *Voluntas*, de cuius actionibus voluntariis in Morali dictum eſt.

Tertia & poſtrema potentia eſt *potentia motrix*, non tantum ea per quam corpus mouet; ſed etiam ea per quam ſeipſam mouet poſt ſeparationem corporis.

Digitized by Google

COMPENDIVM DE REBVS SVPERNATVRALIBVS.

PRÆFATIO.

HOc Compendium nouũ erit. Nam ſemina, id eſt, media & argumenta omnium quæſtionum quæ ab Ariſtotele in 12. Metaphyſicis tractantur ordine librorum dabo. Si cui mens eſt huius rei authorem ampliorem nouiſſe, legat Chryſoſtomum Iauellum.

PROLEGOMENA.

Nomina; & ſignificatus Metaphyſicæ.

METAPHYSICA dicitur vel quaſi ſupernaturalis, vel quaſi poſt natu-

turalis. Quia ordine quo aliquid nobis cognitum eſt Metaphyſica eſt poſtnaturalis, priùs enim naturalia, poſteà ſupernaturalia noſci debent. Ordine verò naturæ Metaphyſica eſt ſupernaturalis, ſiue antenaturalis, propterea quòd naturalia à ſupernaturalibus dependeant, quia ſupernaturalia priora ſunt.

Vocatur SAPIENTIA, quia eſt cognitio altiſſimarum rerum per altiſſimas cauſas. Res altiſſimæ ſunt quæ abſtrahunt à materia & ſpiritu, à Creatore & creaturis, vt ſunt omnia tranſcendentia, Ens, Vnum, Verum, &c. Altiſſimæ cauſæ ſunt principia prima: in aliis ſcientiis principia ſunt prima in certo genere: in Metaphyſica reſpectu omnium generum principia ſunt prima.

An Mens & Sapientia diſtinguatur?

MENS eſt cognitio primorum principiorum non diſcurſiua, ſed intellectiua. SAPIENTIA eſt cognitio diſcurſiua per illa principia prima; ideóque diſtinguuntur, quòd vna aſſentiatur abſque vllo medio, alia verò ſit cognitio mediata.

Eſt-ne vna ſcientia Metaphyſica?

Reſpondeo non eſſe. Ratio eſt: Forma-

litas abſtractionum variat ſcientias formaliter; vt quia alia eſt abſtractio Mathematicæ quàm Phyſicæ: Illa enim tantùm ratione abſtrahit à materia, hæc autem nec re, nec ratione abſtrahit; ideò eſt alia ſcientia: ſed triplex eſt abſtractio Metaphyſica: ergo triplex ſcientia. Probatur minor: Vna abſtractio eſt quæ abſtrahit & re, & ratione à materia tantum phyſica, non autem à metaphyſica ſiue à genere metaphyſico; & hæc eſt ſcientia Metaphyſica, quam vocabimus *Angelica*, ſiue *Spiritalis*. Angeli enim cùm ſint in prædicamento, non abſtrahunt à materia metaphyſica, ſed tantùm à phyſica ſeu corpore. Secunda abſtractio eſt à materia metaphyſica, id eſt, ab omni prædicamento, itavt in prædicamento eſſe non poſſit: ſic eſt Metaphyſica *Diuina*. Hæc conſiderat Deum, qui non eſt in prædicamento, nec eſſe poteſt. Tertia Metaphyſica eſt quæ abſtrahit à prædicamento, ſeu genere metaphyſico, attamen res illæ quas conſiderat permiſſiuè ſunt in prædicamento, & à nobis vocatur Metaphyſica Tranſcendentalis. Tranſcendentia enim ex ſua natura non ſunt in prædicamento, poſſunt tamen eſſe. Et lubet adiungere adhuc aliam, ſcilicet quæ abſtrahat ab Ente & Non

ente, quamuis permiſſiuè res illæ ſint vel ens, vel non ens; & hæc vocetur *Supertranſcendentalis*; nam Supertranſcendentia ſunt communia tam enti quàm non enti: ergo abſtrahunt ab vtroque.

Quod obiectum, & quis finis Metaphyſicæ?

Obiectum eſt Ens quatenus ens, id eſt, non eſt obiectum contractum ad materiam, aut ad ſpiritum; Ens autem quatenus ens ab vtroque abſtrahit, ideóque propriè Metaphyſica nec materiam, nec ſpiritum conſiderat; ſed tantùm ens quatenus ens, & quatenus ab vtroque abſtraſcit.

Finis eſt Contemplatio prima veritatis, id eſt, independentis; aliarum enim ſcientiarum veritates à Metaphyſicæ veritate dependent.

Quot ſunt partes Metaphyſicæ?

Tres. Prima eſt de Ente, eiúſque principiis & cauſis. Secunda eſt de proprietatibus Entis. Tertia verò eſt de ſpeciebus Entis vt ens eſt, & de ſpeciebus Entis Spiritalis, ſiue id ſit creatum, ſiue increatum.

PARS PRIMA.

De ENTE, eiúſque principiis, & cauſis.

Quis eſt conceptus Entis, & primus Metaphyſicorum?

NON quæritur quid ſit ENS, quia ENS nec deſiniri, nec deſcribi poteſt, cùm & in definitione & in deſcriptione debeat aſſignari genus vel analogum, vel vniuocum. Nullum autem eſt genus Entis: ergo tantùm quæritur quid concipiamus nomine Entis.

Nota. Ens vel eſt ſubſtantiuum, vel participium: ſiue Ens vel ſumitur abſolutè, vel cum actu eſſendi: actus autem eſſendi eſt exiſtentia; ſicut qui diceret Logicus abſolutè: vel Logicus logicans, &c.

Abſolutè igitur Ens eſt quod eſt, vel eſſe poteſt. Per id quod eſt, intellige quod exiſtit: per id quod eſſe poteſt, intellige quod exiſtere poteſt. 2. Non intellige quod eſſe poteſt abſolutè: nam poſſibilitas ad ens

eſſe poteſt, & eſt poſſibilitas, non tamen eſt ens; quia poſſibilitas in cæco ad viſionem, non eſt viſio: ergo nec poſſibilitas ad ens, ens eſt: Sed intellige id quod habet eſſentiam, ideóque exiſtere poteſt, vt roſa eſt ens, licèt non exiſtat, quia exiſtere poteſt.

Sed eſt-ne hic conceptus entis analogus, an vniuocus? Nota. Vnus conceptus eſt formalis, alius obiectiuus. Formalis conceptus Entis eſt quo Ens repræſentatur.

Obiectiuus eſt illud ipſum ens quod repræſentatur.

Reſp. Neuter conceptus eſt vniuocus. Probatur de obiectiuo. Cuius ſpecies à ſe inuicem dependent ita vt vna aliam præſupponat eſſentialiter, certè illud non eſt vniuocum: ſed accidens dependet à ſubſtantia eſſentialiter, vt creatura à Deo in ratione entis: ergo, &c. Probatur: De conceptu formali. Non poteſt vnus eſſe conceptus formalis hominis veri & picti: ergo nec Dei & creaturæ; quia vt non poteſt abſtrahi vnus conceptus ab vtroque homine, ita nec vniuocus conceptus à Deo & creatura, à ſubſtantia & accidente.

Oportetne Metaphyſicum ſcire omnes quæſtiones tam. vniuerſi quàm particularis?

Reſpondeo 1. Metaphyſicus conſiderat omnes quidditates in vniuerſali. Prob: Conſiderat ens vt ens eſt, ſiue conſiderat ens in communi: ergo conſiderat eſſentiam ſeu quidditatem in communi.

Reſp. 2. Conſiderat omnes omninò quidditates rerum particularium quatenus in Tranſcendentibus conueniunt. Probatur. Metaphyſicus conſiderat v. gr. in homine quid ſit eſſentia, quid ens, quid vnum.

Reſp. 3. Metaphyſicus conſiderat omnia entia quatenus habent formalem rationem entis, id eſt ens abſtrahit, vt ens eſt, à materia & ſpiritu, ideóque omne particulare ens, quod ita indifferens eſt, conſiderat v. gr. Vniuerſale, Singulare, Subſtantiam, Accidens, Formam, ipſámque Materiam prout communis eſt materiæ phyſicæ & generi.

Habet-ne Ens principia?

Reſpond. 1. Ens generaliter ſumptum comprehendit omnia entia: ergo etiam principia; quia principia entis non poſſunt eſſe niſi entia: ergo hoc modo vt ens

omnia comprehendit, non habet principia.

Reſp. 2. Ens quatenus eſt obiectum Metaphyſicæ habet principia. Prob. Omnis ſcientia tractat de obiecto quod principia, cauſas, ſpecies, & proprietates habet: ergo & ipſummet ens obiectum Metaphyſicæ principia habebit.

Reſp. 3. Principia entis non eodem modo ſunt entia ac eſt ens ipſum cuius ſunt principia. Prob. Principia ſubſtantiæ non eodem modo ſunt ſubſtantia quo eſt ſubſtantia ipſa: v, gr. ſubſtantiæ principia ſunt ens & ſubſiſtentia: atqui nec ens, nec ſubſiſtentia eo modo poſſunt dici ſubſtantia quo modo ipſa ſubſtantia cuius ſunt principia eſt ſubſtantia: ergo nec principia entis eo modo ſunt entia, quo modo ipſum ens eſt ens. nam ens eſt compoſitum, ſed principia entis non ſunt compoſita, alioquin daretur progreſſus in infinitum.

Sunt-ne principia prima naturaliter cognita?

Reſpond. eſſe Nam quod naturaliter cognitum eſt, non indiget aliquo clariore, Cùm igitur nihil ſit clarius ipſis primis principiis, naturaliter ſunt cognita, aliàs daretur progreſſus in infinitum. Deinde vt immediatum obiectum, v. gr. viſus, quod eſt lumen, naturaliter cognitum eſt: ita primum obiectum

iectum· intellectus quod continet prima principia, naturaliter intellectui & immediatè cognitum eſt.

Quæ ſunt principia cognitionis entis?

Eſt vnum generaliſſimum, quod hoc modo effertur: *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe:* ſiue, *Idem de eodem non poteſt affirmari & negari.* ſiue: *Contradictoria non poſſunt ſimul eſſe in eodem.*

Quæritur vtrum hoc principium ſit affirmatiuum, vel negatiuum? Multisd iſputat eſſe negatiuum Craſſot. ſed falſum: nam vbi modus non negatur in propoſitione modali, ibi non eſt propoſitio negatiua: ſed in iſtis modus non negatur. Si verò ſit propoſitio coniunctiua, pariter non eſt negatiua, quia negatio tantùm eſt quando coniunctio negatur: atqui cùm dico. *Non poteſt idem eſſe & non eſſe,* non negatur coniunctio, vt ex Logica conſtat.

Si quis hoc principium neget, probabítne Metaphyſicus? Si bene probet, per aliquod clarius probabit, ideóque per aliquid prius, & ſic principium non erit primum. Reſp. Probare poteſt per aliquid prius & notius illi qui tale principium negat, non abſolutè, ſiue argumentando ad hominem, & vt vocant, per redargutionem, ver. gr. proponat famelico neganti panem eſſe lapi-

dem: famelicus non accipiet lapidem, quia non credit ſimul eſſe panem & non panem: ſi enim crederet, quare non acciperet lapidem æquè bene ac panem?

Poteſt reſponderi aliud eſſe primum principium Cognitionis, ſcil. *Deus eſt*. Nam qui Deum negat, omne ens negat & ſeipſum. Etenim ſi Deus non eſt, nullum ens eſt; quia omne ens vel Deus eſt, vel à Deo eſt. Si ergo Deus non eſt, ergo nihil à Deo eſt: ergo nullum ens eſt. 3. reſponderi poteſt: Principium eſt, Ens eſt ens. Et licèt hæc videatur eſſe nugatio, tamen abſolutè hoc verum eſt. Nam nihil verius eſt quàm definitiones, v. gr. quòd homo ſit animal rationale; hoc autem nihil aliud eſt dicere quàm Homo eſt homo; ideóque ens eſt ens: ergo. Iſtà tria videntur prima omnium principia.

Quæ ſunt principia rei in Ente: I. De ESSENTIA, *&* EXISTENTIA.

VT album per albedinem, ita Ens per eſſentiam aut exiſtentiam, aut vtrumque dicitur: nec enim eſſentia ſola eſt principium, ſi abſtrahas ab omni exiſtentia. Eſſentia enim non eſt ſi exiſtere non poſſit: nec exiſtentia ſola principium eſt; nec enim exiſtere poteſt id quod eſſentiã non habet.

Eſſentia eſt quicquid eſt extra ſuas cauſas, & extra nihil. Dei eſſentia eſt non quòd ſit extra cauſas, quia nullas habet, ſed quòd ſit extra nihil. Hinc homo irrationalis non eſt eſſentia, quia nulla eſt cauſa huius: nec eſt extra nihil, imò nihil eſt: ergo non extra nihil: ſiue, Eſſentia eſt quicquid exiſtere poteſt.

Eſſentiæ ſunt-ne æternæ?

Diſtin. Non ſunt æternæ independenter. nam ſi cogitetur hominem eſſe animal rationale abſque reſpectu ad Deum, eo ipſo non eſt ens, aut eſſentia; ſic enim aliquid eſſet quod nec Deus eſſet, nec à Deo dependeret. Deinde, eſſentiæ ſunt veræ: verum autem eſt quod ſimile ſuæ ideæ eſt, vel idea ipſa eſt. Cùm dicitur Deum non habere ideas eſſentiarum, reſpondetur non habere practicas, ſed ſpeculatiuas. Deinde eſſentiæ ſunt æternæ, non poſitiuè: nihil enim ab æterno poſitiuè eſt, ſed negatiuè & per non repugnantiam. Nihil enim impedit quo minùs hæc coniunctio ſit ab æterno, homo eſt animal rationale. Deinde dici poteſt eſſentias non eſſe æternas; Nam ens eſt quod eſſe poteſt aut eſt; ſed eſſentiæ non ſunt ab æterno, nec poſſunt eſſe ab æterno. Nam ſi poſſent eſſe ab æterno, eo ipſo non eſſent æternæ; poſſibilitas enim præcederet.

Deinde quod poteſt eſſe, poteſt non eſſe, & per conſequens non eſt æternum.

Eſſentiæ ſunt-ne vniuerſales?

Reſpond. Sui reſpectu nec vniuerſales, nec ſingulares ſunt, vt dixi in Logica: ſunt tamen vniuerſales ex ſe quatenus habent realiter hanc aptitudinem, vt inſint multis, quamuis nec hoc vniuerſaliter verum eſt: Dei enim eſſentia propriiſſimè eſſentia eſt, vniuerſalis tamen non eſt. Deinde eſſentia vt cognoſcatur vniuerſalis, per intellectum hoc fiat neceſſe eſt, id eſt, vt eſſentia vniuerſalis cognoſcatur, debet cognoſci abſtracta, & comparata.

Quid exiſtentia addit ſuper eſſentiam?

Reſpond. Nihil addit realiter: nec enim eſſentia & exiſtentia ſeparatim eſſe poſſunt. Nec aliud eſt reale ipſa eſſentia quàm exiſtentia: vocatur enim eſſentia propter connexionem prædicati cum ſubiecto: vocatur exiſtentia vt extra ſuas cauſas eſt, aut extra nihil, ſiue exiſtentia nihil aliud eſt quàm actus eſſentiæ.

De varia exiſtentia.

Æquiuoca eſt vox: nam & Nihil exiſtere, & non exiſtere dicitur. Quamdiu homo cæcus eſt, cæcitas eſt, ſeu exiſtit: & cùm homo non eſt ampliùs cæcus, cæcitas non ampliùs eſt, ſiue nihil non ampliùs eſt.

Digitized by Google

Exiſtentia propriè vel eſt ſubſiſtentia, vel per ſe exiſtentia, vel ab exiſtentia, vel in exiſtentia; & hæc quidem duplex, vna qua accidens in ſubſtantia, altera qua ſubſtantia in accidente exiſtit. Subſiſtentia eſt exiſtentia ſubſtantiæ independens ab alio priori: per ſe exiſtentia eſt per quam aliquid ſeparatim exiſtit, ſiue dependeat à priori, ſiue non, Si Chriſtus Dominus vt homo, ablatâ ſubſiſtentia humanâ exiſteret ſeparatim, ſiue per ſe exiſteret, non tamen ſubſiſteret. Adexiſtentia eſt qualis eſt exiſtentia relatorum: Inexiſtentia eſt prima, per quam ſuperiora in inferioribus & inferiora in ſuperioribus exiſtunt. Sic homo exiſtit in Petro tanquam pars in toto: & Petrus exiſtit in homine tanquam pars in toto potentiali, quia apud Ariſtotelem ſubſtantiæ primæ exiſtunt in ſecundis. Secunda inexiſtentia eſt per quam accidens eſt in ſubiecto: & vocatur *inhærentia*: alia eſt per quam ſubſtantia in accidente, ſic corpus exiſtit in loco.

Eſt-ne exiſtentia communicabilis?

Id eſt, vtrum Petrus poſſet exiſtere per exiſtentiam Pauli?

Reſp. non eſſe. Nam exiſtentia facit per quam aliquid omni modo vnum eſt: non enim eſt maior vnitas quàm vnitas exiſten-

tiæ, & rei indiuiduæ. Si igitur exiſtentia Petri eſſet in Paulo, eo ipſo vel Petrus eſſet Paulus, vel Petrus non eſſet vnus; quandoquidem non eſſet diuiſus à quouis alio.

De Actu & Potentia.

HÆC etiam ſunt duo principia rei; nam excepto Deo, quicquid eſt, eſſe poteſt; aut ſi ſit actu, eſſe potuit, immò actus non tollit potentiam, ideóque quicquid eſt, poteſt eſſe. Sed duplex eſt potentia, vna cum negatione actus, altera ſine negatione actus. Antequam fuerim, potui eſſe, & habui negationem actus. Iam verò cùm ſum, poſſum eſſe: ſed hic non eſt negatio actus. Pariter in Deo eſt potentia, & actus, non cum negatione, ſed ſine negatione; ideóque in Deo potentia & actus vnum & idem ſunt.

Actus eſt id per quod res eſt, ſiue eſt id quod potentiæ reſpondet.

Actus alius eſt ab actione: propriè enim ab actu procedit actio, & actio eſt ad actum vt à calore tanquam ab actu procedit calefactio, & hæc procedit ad calorem, ſiue actus eſt medium inter potentiam & actionem. Nam potentia eſt per quam aliquid poteſt fieri. Actio eſt per quam aliquid fit: Actus per quem aliquid eſt: non tamen

neceſſariò ab omni actu præſupponitur potentia; nam Deus eſt actus, & actu, non tamen priùs habuit potentiã ad eſſe diuinũ quàm habuerit ad actũ: non oportet cogitare Deum potuiſſe eſſe antequam fuerit.

Actus idem eſt ſecundus & primus: Secundus quidem ſi cum potentia conferatur à qua procedit, primus verò ſi conferatur cum actione: hæc enim immediatè procedit ab actu.

Actus generaliter vel eſt forma, vt anima; vel eſt informatio, vt animare; vel eſt actio, vt intelligere.

Aliquid eſt actus ſuiipſius tantùm, vt Deus; vel alicuius alterius, vt forma equina eſt forma equi, vel tam ſuiipſius quàm alterius, vt anima rationalis eſt ſibi & corporis actus.

Actus vel eſt puriſſimus: id eſt, qui non præſupponit potentiam & poſſibilitatem priorem, vt eſt ſolus Deus; vel non puriſſimus, quòd ſupponat poſſibilitatem, quomodo Angeli ſunt actus non puriſſimi metaphyſicè, licèt ſint puriſſimi phyſicè, quia non habent potentiam ſeu materiam phyſicam: vel eſt impurus, ſcil. phyſicus, ſupponens materiam phyſicam tanquam ſubiectum. hoc modo omnes formæ naturales ſunt actus impuri.

Potentia eſt ens quod actui reſpondet, vel eſt id per quod res eſt formaliter potens, vel poſſibilis.

Vna potentia vel eſt cum priuatione, vt in ligno potentia ad ignem; vel ſine priuatione, vt in igne potentia ad ignem: ſicque valet conſequentia ab actu ad potentiam, dummodo ſine priuatione ſit; vt ſto, ergo poſſum ſtare.

Potentiæ priuatiuæ opponitur Impotentia, & Impoſſibilitas; ſed poſitiuæ opponitur actus.

Potentia media eſt inter eſſentiam & actionem, nam prius eſt eſſe animam, deinde animam potentem eſſe, deinde agere.

Potentia vel eſt paſſiua, vt calefactibilitas; vel actiua, vt calefactiuitas; vel eſt reſiſtens verè, vt cùm aqua reſiſtit igni per frigus; vel reſiſtens propter ineptitudinem, vt lignum docenti.

Potentia vel eſt aptitudo tantùm: nam aptitudo eſt ad potentiam; vt in cæco aptitudo eſt: vel eſt potentia propriè ad actum.

Poſſibilitas eſt potentia ſine ſubiecto, vt poſſibilitas alterius mundi, & potentia obiectiua vocatur, quamuis etiam impoſſibilitas poſſit eſſe potentia obiectiua.

Poſſibile nec eſt neceſſariò verum, nec neceſſariò falſum, ſed verum vel falſum eſſe poteſt.

Actiua potentia vna eſt, vt informatio, alia eſt quaſi informatio, vt genus & differentia informant ſpeciem; vel eſt operatio propriæ cauſæ efficientis, vel aliarum cauſarum.

Potentia vel eſt metaphyſica, vt genus reſpectu differentiarum, vt anima reſpectu accidentium; vel phyſica & ſubſtantiua, vt materia; vel eſt obedientialis reſpectu Dei.

In æternis idem eſt eſſe & poſſe: & actus prior eſt potentiâ.

Omnis poſſibilitas ſupponit potentiam actiuam, actio potentia actum.

Genus, & Differentia.

NATVRA ſpecifica cum aliis conuenit, & ab aliis diſcrepat: conuenit per genus, diſcrepat per differentiam.

Gradus genericus vnius indiuidui diſtinguitur realiter à differentia indiuidui, aut alterius indiuidui; v. gr. animalitas in Petro realiter diſtinguitur à differentia Pauli; quia impoſſibile eſt naturaliter vt idem gradus realis poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis. Animalitas Petri alia eſt entitas ab animalitate Pauli.

Animalitas in Petro diſtinguitur à Petreitate ex natura rei; alioquin Petreitas idem

eſſet cum Paulinitate, quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inte ſe.

Nullum vniuerſale eſt vnum in multis realiter: mea enim entitas eſt alia à tua realiter.

Vnitas formalis poteſt eſſe ſingularis & communis, vt diuina formalem naturâ vnitatem & ſingularem habet, & tamen communem tribus perſonis, quarum reſpectu non eſt vniuerſalis, ſicque vnitas eſſentialis ab vniuerſali diſtinguitur.

Natura & Singularitas.

Indiuiduum dicitur quod in ſibi ſimilia nequit diuidi; vt Petrus indiuiſibilis eſt in Petros. Particulare eſt pars entitatiua ſpeciei. Singulare dicitur quod vnicum, ſolum & ſolitarium; quia ne diuinitùs idem multa eſſe poteſt. Indiuiduum conſtat ex natura & indiuiduatione, proindéque per ſingularitatem incommunicabilitas & indiuiſibilitas intelligitur.

Quicquid exiſtit ſingulare eſt: poteſt tamen aliquid exiſtere ſine ſingularitate propria, vt vniuerſale per indiuidua: & Deus tamen exiſtit ſine ſingularitate, ſi ſingularitas ſit, id contrahit naturam ſpecificam, quæ in Deo non eſt. Omne vniuerſale eſt indiuiduum; quia quicquid eſt, vnum eſt: Quod autem vnum eſt, eo ipſo indiuiduum eſt &

ſingulare: omnis enim ſpecies qua ratione vna eſt, indiuidua eſt; quia impoſſibile eſt ſpeciem vt ſpeciem in plures ſpecies diuidi.

Singularitas à natura non diſtinguitur realiter, aliàs reales & particulares requirerentur ſingularitates & exiſtentiæ: ſed nulla eſt exiſtentia ſpeciei à ſingularitate & exiſtentia indiuidui diſtincta.

Accidentia non ſunt principium indiuiduationis in ſubſtantia, ſed ſubſtantia principium indiuiduationis accidentium.

Exiſtentia non eſt indiuiduatio: nam Plato dicitur indiuiduum, licèt non exiſtat.

Eo modo quo res eſt vnum, in plura diuidi nequit, vt animal quatenus tale non poteſt diuidi in plura genera; cùm verò ſit vnum animal ratione entitatis, poteſt diuidi in plures entitates. ita ſigulare cùm ſit vnum entitate, non poteſt diuidi in plura entitate.

Res & Modus.

Res eſt cui modus propriè ineſt. Modus verò eſt id quod rem determinat etiam non cogitante intellectu: nec à re realiter diſtinguitur. Modus vnus eſt negatiuus, vt remiſſio caloris; alter poſitiuus, vt intenſio caloris: Vnus neceſſarius, vt *Perſeitas* ſubſtantiæ; alius contingens, vt

apertio & clauſio manus: vel eſſentialis, ſine quo rei eſſentia nec eſſe, nec concipi poteſt, vt vnio inter partes eſſentiales: alius accidentarius, quo modo aliquid eſt prius, vel poſterius, vel ſimul; vt creatio eſt modus prior creaturæ, exiſtentia eſt modus ſimul, oppoſitio eſt modus poſterior.

De Termino, & Terminabili.

Terminus hîc ſumitur pro principio, medio, & fine. Terminus principium dicitur *à quo:* terminus finis, *ad quem* terminus medius *copulans.*

Terminus eſt per quem res nec vltra, nec citra prodit.

Terminus non ſemper imperfectionem indicat: nam diuina potentia in Patre generatrix ad vnum filium ſe tantùm extendit, nec tamen hæc eſt imperfectio, cùm hæc potentia ad infinitum obiectum terminetur.

Terminus eſt indiuiſibilis, id eſt, non alio termino terminatur, alioquin, &c.

Terminus vel eſt negatiuus, vt diuiſibilis in quantitate; terminus corruptionis, imminutionis, remiſſionis; vel eſt poſitiuus, vt terminus generationis, augmentationis, intenſionis: vel eſt internus, quo modo corpus terminatur ſuperficie internâ; vel

externus, quomodo corpora terminantur ſuperficie corporis ambientis.

Subiectum, Forma.

FORMA ineſt ſubiecto, & ſuam eſſentiam communicat, nec eſt propterea ipſius pars; vt albedo efficit veſtem albam, nec eſt pars veſtis. Subiectum verò ſuum eſſe communicat Formæ, licèt non ſit eius pars, nec ea eſt pars parietis.

Subiectum vel eſt inhæſionis, cui forma inhæret; vt eruditio animæ: vel denominationis, quod ſubiectum licèt formam non recipiat, ab ea tamen denominatur? nam & ſi eruditio toti non inſit homini, ſed parti, nempe animæ, homo tamen denominatur doctus.

PARS SECVNDA.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

EA quæ adiunguntur Animali, non dicuntur anmalia, vel animalitates: ſed quæ adiunguntur ſubſtantiæ, vt differentiæ adiunctæ ſubſtantiis; aut ſunt ſubſtantiæ, aut ſubſtantiales. Sic quæ adiunguntur Enti vt eius proprietates, entia ſunt, nec aliud.

Entis proprietas triplex: Prima eſt quæ nouam ſubiecto perfectionem non addit, vt homo viuus, VIVVS nouam perfectionem

non indicat homini conſtituto ſuperue-nientem: Altera realis, & noua perfectio. Sic calor eſt proprietas ignis realiter ab igne diſtincta. Tertia eſt quæ poteſt ſpecificari, & quæ non poteſt, vt alteratio, & augmentatio ſunt proprietates ſpecificæ corporis, non autem motus.

Ens latiſſimè ſumptum nullas habet proprietates, vel illæ ſunt ens, vel non ens. Ad non ens non eſt proprietas entis; ſi verò entis proprietas detur, dabitur & entis illius proprietas, & ſic in infinitum.

Tres ſtatuuntur Entis proprietates primariæ, Vnitas, Veritas, Bonitas. Secundariæ Intelligibilitas, Res, Aliquiditas, Appetibilitas, Perfectio: nam ad vnitatem ſequitur aliquid eſſe diuiſum ab alio, ideóque eſſe aliquid: Ad veritatem ſequitur aliquid eſſe intelligibile, ſiue perfectum, ideóque eſſe rem: Ad bonitatem ſequitur appetibilitas, quibus adiungendus eſt motus, quòd in omni ente ſit principium motus, ſeu actiuum, ſeu paſſiuum: nec eſt ratio cur obiectum voluntatis & intellectus faciat proprietatem, nec obiectum potentiæ motricis.

De VNITATE.

Tribus modis aliquid eſt vnum: primò quoad in ſe eſt indiuiſum, ſed tamen non

diuiſum à quouis alio, vt digitus vnus eſt, non tamen eſt vnus quatenus non eſt diuiſus à quouis alio: & vt Ariſtoteles ait, Actus eſt qui ſeparat: ſic poſſum dicere, Separatio eſt quæ facit actum; ideò enim dicimus vnam lineam non eſſe multas, licèt in illa ſint multæ, quia lineæ illæ non ſunt ſeparatæ ſeu diuiſæ. Secundò vnum eſt quod diuiſum eſt à quouis alio, ſed non eſt in ſe indiuiſum; vt exercitus vnus eſt, quia ab omnibus aliis diuiſus eſt, non tamen vnus eſt, quia diuiſus eſt in ſuas partes. Tertiò & propriè vnum eſt, quod eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum à quouis alio, hæc numerica dicitur.

Solus Deus vnum propriſſimè dicitur.

Vnitas vna eſt non per aliam vnitatem, ſed per ſeipſam.

Vnitas ab entitate ſeiuncta non eſt fundamentũ relationis, ſed ſũpta vnà cũ entitate.

Vni opponitur *non vnum*. 1. non vnum negatiuè, quod nullo modo eſt ens, alio modo non priuatiuè, id eſt, cùm aliquid certo modo non eſt vnum, & eſt quidem ens, ſeu habet priuationem certæ cuiuſdam vnitatis, & ſic non vnũm vocatur multum, ſeu multitudo: aliquando vnum fieri poteſt aliquando non; vnum quidem cùm fieri poteſt ſignificat priuationem, cùm verò fieri non poteſt ſignificat negationem.

De Veritate & Falſitate.

Triplex Veritas,*rei,notionis*, & *ſigni*. Veritas rei eſt tranſcendens, & conuenit omni enti, & ſoli, & eſt conformitas cum exemplari: ſic omnis creatura vera eſt, quia conformis exemplari diuino, nec res ideò vera eſt, quia mens noſtra vera eſt: ſed quia conformis menti diuinæ. Veritas ſigni eſt conformitas rei cum re ſignificata, & certè vna res aliam ſignificat, vt ouum oua. Veritas notionis eſt conformitas intellectionis cum re quæ cognoſcitur.

Quemadmodum ens eſt analogum ad eſſe & ad non eſſe, ita veritas eſt analoga enti,& non enti.

Duplex Veritas, complexa, & incomplexa. Incomplexa illa eſt per quam rem ſimpliciter comprehendimus; ver. gr. aurum vt aurum. Complexa, per quam affirmamus de re, aut negamus; vt cum aſſerimus Petrum eſſe animal, & inficiamur eum eſſe lapidem.

Falſitas oppoſita veritati eſt conformitas Dei à ſuo exemplari, aut ſigni à re ſignata. Falſitas vel ſumitur negatiuè pro eo quod non eſt abſolutum; vt alter mundus eſt aliquid falſum; vel priuatiuè, quæ tamen certam

certam veritatem tollit, nõn omnem; vtcùm res videtur eſſe aliquid, non tamen eſt, vt ſi plumbum videatur eſſe argentum.

De BONITATE.

BONVM eſt proprietas Entis: nam malus ſyllogiſmus, quantenus malus, non eſt ens.

Multi cenſent Bonum, cùm ſit appetibile, appetibilitatem (ſeu) conformitatem cum voluntate eſſe formalem rationem Boni, quod mihi falſum videtur, quia priùs aliquid eſt bonum, quàm appetibile, ſi cùm priùs eſt color quàm viſibilis.

BONVM propriè eſt perfectio quædam, vnde Mors, quà mors, non eſt bona; quia eſt priuatio.

MALVM eſt oppoſitum bono. Vnum autem eſt malum merum, ſiue non ens, chymæra; alterum eſt malum priuatiuum non cuiuſuis boni, ſed alicuius; v. gr. cæcitas: aliàs omnis omninò res mala eſt quatenus omnis res, excepto Deo, habet negationem alicuius entitatis aut eſſentiæ, ideóque alicuius bonitatis, vt homo non eſt angelus.

De Identitatibus, & Diſtinctionibus.

ENS vel eſt idem, vel ſubiecto, vel numero, vel ratione, vel genere, vel ſpecie, vel proportione, vel materia, vel formâ vel aliud eſt ens, vel diuerſum quod in toto diſ-

tiæ, & rei indiuiduæ. Si igitur exiſtentia Petri eſſet in Paulo, eo ipſo vel Petrus eſſet Paulus, vel Petrus non eſſet vnus; quandoquidem non eſſet diuiſus à quouis alio.

De Actu & Potentia.

HÆC etiam ſunt duo principia rei; nam excepto Deo, quicquid eſt, eſſe poteſt; aut ſi ſit actu, eſſe potuit, immò actus non tollit potentiam, ideóque quicquid eſt, poteſt eſſe. Sed duplex eſt potentia, vna cum negatione actus, altera ſine negatione actus. Antequam fuerim, potui eſſe, & habui negationem actus. Iam verò cùm ſum, poſſum eſſe: ſed hîc non eſt negatio actus. Pariter in Deo eſt potentia, & actus, non cum negatione, ſed ſine negatione; ideóque in Deo potentia & actus vnum & idem ſunt.

Actus eſt id per quod res eſt, ſiue eſt id quod potentiæ reſpondet.

Actus alius eſt ab actione: propriè enim ab actu procedit actio, & actio eſt ad actum vt à calore tanquam ab actu procedit calefactio, & hæc procedit ad calorem, ſiue actus eſt medium inter potentiam & actionem. Nam potentia eſt per quam aliquid poteſt fieri. Actio eſt per quam aliquid fit: Actus per quem aliquid eſt: non tamen

neceſſariò ab omni actu præſupponitur potentia; nam Deus eſt actus, & actu, non tamen priùs habuit potentiā ad eſſe diuinū quàm habuerit ad actū: non oportet cogitare Deum potuiſſe eſſe antequam fuerit.

Actus idem eſt ſecundus & primus: Secundus quidem ſi cum potentia conferatur à qua procedit, primus verò ſi conferatur cum actione: hæc enim immediatè procedit ab actu.

Actus generaliter vel eſt forma, vt anima; vel eſt informatio, vt animare; vel eſt actio, vt intelligere.

Aliquid eſt actus ſuiipſius tantùm, vt Deus; vel alicuius alterius, vt forma equina eſt forma equi, vel tam ſuiipſius quàm alterius, vt anima rationalis eſt ſibi & corporis actus.

Actus vel eſt puriſſimus: id eſt, qui non præſupponit potentiam & poſſibilitatem priorem, vt eſt ſolus Deus; vel non puriſſimus, quòd ſupponat poſſibilitatem, quomodo Angeli ſunt actus non puriſſimi metaphyſicè, licèt ſint puriſſimi phyſicè, quia non habent potentiam ſeu materiam phyſicam: vel eſt impurus, ſcil. phyſicus, ſupponens materiam phyſicam tanquam ſubiectum. hoc modo omnes formæ naturales ſunt actus impuri.

Potentia eſt ens quod actui reſpondet, vel eſt id per quod res eſt formaliter potens, vel poſſibilis.

Vna potentia vel eſt cum priuatione, vt in ligno potentia ad ignem; vel ſine priuatione, vt in igne potentia ad ignem: ſicque valet conſequentia ab actu ad potentiam, dummodo ſine priuatione ſit; vt ſto, ergo poſſum ſtare.

Potentiæ priuatiuæ opponitur Impotentia, & Impoſſibilitas; ſed poſitiuæ opponitur actus.

Potentia media eſt inter eſſentiam & actionem, nam prius eſt eſſe animam, deinde animam potentem eſſe, deinde agere.

Potentia vel eſt paſſiua, vt calefactibilitas; vel actiua, vt calefactiuitas; vel eſt reſiſtens verè, vt cùm aqua reſiſtit igni per frigus; vel reſiſtens propter ineptitudinem, vt lignum docenti.

Potentia vel eſt aptitudo tantùm: nam aptitudo eſt ad potentiam; vt in cæco aptitudo eſt: vel eſt potentia propriè ad actum.

Poſſibilitas eſt potentia ſine ſubiecto, vt poſſibilitas alterius mundi, & potentia obiectiua vocatur, quamuis etiam impoſſibilitas poſſit eſſe potentia obiectiua.

Poſſibile nec eſt neceſſariò verum, nec neceſſariò falſum, ſed verum vel falſum eſſe poteſt.

Digitized by Google

Actiua potentia vna eſt, vt informatio, alia eſt quaſi informatio, vt genus & differentia informant ſpeciem; vel eſt operatio propriæ cauſæ efficientis, vel aliarum cauſarum.

Potentia vel eſt metaphyſica, vt genus reſpectu differentiarum, vt anima reſpectu accidentium; vel phyſica & ſubſtantiua, vt materia; vel eſt obedientialis reſpectu Dei.

In æternis idem eſt eſſe & poſſe: & actus prior eſt potentiâ.

Omnis poſſibilitas ſupponit potentiam actiuam, actio potentia actum.

Genus, & Differentia.

NATVRA ſpecifica cum aliis conuenit, & ab aliis diſcrepat: conuenit per genus, diſcrepat per differentiam.

Gradus genericus vnius indiuidui diſtinguitur realiter à differentia indiuidui, aut alterius indiuidui; v. gr. animalitas in Petro realiter diſtinguitur à differentia Pauli; quia impoſſibile eſt naturaliter vt idem gradus realis poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis, Animalitas Petri alia eſt entitas ab animalitate Pauli.

Animalitas in Petro diſtinguitur à Petreitate ex natura rei, alioquin Petreitas idem

eſſet cum Paulinitate, quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inte ſe.

Nullum vniuerſale eſt vnum in multis realiter: mea enim entitas eſt alia à tua realiter.

Vnitas formalis poteſt eſſe ſingularis & communis, vt diuina formalem naturâ vnitatem & ſingularem habet, & tamen communem tribus perſonis, quarum reſpectu non eſt vniuerſalis, ſicque vnitas eſſentialis ab vniuerſali diſtinguitur.

Natura & Singularitas.

Indiuiduum dicitur quod in ſibi ſimilia nequit diuidi; vt Petrus indiuiſibilis eſt in Petros. Particulare eſt pars entitatiua ſpeciei. Singulare dicitur quod vnicum, ſolum & ſolitarium; quia ne diuinitùs idem multa eſſe poteſt. Indiuiduum conſtat ex natura & indiuiduatione, proindéque per ſingularitatem incommunicabilitas & indiuiſibilitas intelligitur.

Quicquid exiſtit ſingulare eſt: poteſt tamen aliquid exiſtere ſine ſingularitate propria, vt vniuerſale per indiuidua: & Deus tamen exiſtit ſine ſingularitate, ſi ſingularitas ſit, id contrahit naturam ſpecificam, quæ in Deo non eſt. Omne vniuerſale eſt indiuiduum; quia quicquid eſt, vnum eſt: Quod autem vnum eſt, eo ipſo indiuiduum eſt &

ſingulare: omnis enim ſpecies qua ratione vna eſt, indiuidua eſt; quia impoſſibile eſt ſpeciem vt ſpeciem in plures ſpecies diuidi.

Singularitas à natura non diſtinguitur realiter, aliàs reales & particulares requirerentur ſingularitates & exiſtentiæ: ſed nulla eſt exiſtentia ſpeciei à ſingularitate & exiſtentia indiuidui diſtincta.

Accidentia non ſunt principium indiuiduationis in ſubſtantia, ſed ſubſtantia principium indiuiduationis accidentium.

Exiſtentia non eſt indiuiduatio: nam Plato dicitur indiuiduum, licèt non exiſtat.

Eo modo quo res eſt vnum, in plura diuidi nequit, vt animal quatenus tale non poteſt diuidi in plura genera: cùm verò ſit vnum animal ratione entitatis, poteſt diuidi in plures entitates. ita ſigulare cùm ſit vnum entitate, non poteſt diuidi in plura entitate.

Res & Modus.

Res eſt cui modus propriè ineſt. Modus verò eſt id quod rem determinat etiam non cogitante intellectu: nec à re realiter diſtinguitur. Modus vnus eſt negatiuus, vt remiſſio caloris; alter poſitiuus, vt intenſio caloris: Vnus neceſſarius, vt *Perſeitas* ſubſtantiæ; alius contingens, vt

apertio & clauſio manus: vel eſſentialis, ſine quo rei eſſentia nec eſſe, nec concipi poteſt, vt vnio inter partes eſſentiales: alius accidentarius, quo modo aliquid eſt prius, vel poſterius, vel ſimul; vt creatio eſt modus prior creaturæ, exiſtentia eſt modus ſimul, oppoſitio eſt modus poſterior.

De Termino, & Terminabili.

Terminus hîc ſumitur pro principio, medio, & fine. Terminus principium dicitur *à quo*: terminus finis, *ad quem* terminus medius *copulans*.

Terminus eſt per quem res nec vltra, nec citra prodit.

Terminus non ſemper imperfectionem indicat: nam diuina potentia in Patre generatrix ad vnum filium ſe tantùm extendit, nec tamen hæc eſt imperfectio, cùm hæc potentia ad infinitum obiectum terminetur.

Terminus eſt indiuiſibilis, id eſt, non alio termino terminatur, alioquin, &c.

Terminus vel eſt negatiuus, vt diuiſibilis in quantitate; terminus corruptionis, imminutionis, remiſſionis; vel eſt poſitiuus, vt terminus generationis, augmentationis, intenſionis: vel eſt internus, quo modo corpus terminatur ſuperficie internâ; vel

externus, quomodo corpora terminantur ſuperficie corporis ambientis.

Subiectum, Forma.

Forma ineſt ſubiecto, & ſuam eſſentiam communicat, nec eſt proptcrea ipſius pars; vt albedo efficit veſtem albam, nec eſt pars veſtis. Subiectum verò ſuum eſſe communicat Formæ, licèt non ſit eius pars, nec ea eſt pars parietis.

Subiectum vel eſt inhæſionis, cui forma inhæret; vt eruditio animæ: vel denominationis, quod ſubiectum licèt formam non recipiat, ab ea tamen denominatur: nam & ſi eruditio toti non inſit homini, ſed parti, nempe animæ, homo tamen denominatur doctus.

PARS SECVNDA.

De Proprietatibvs Entis.

Ea quæ adiunguntur Animali, non dicuntur anmalia, vel animalitates: ſed quæ adiunguntur ſubſtantiæ, vt differentiæ adiunctæ ſubſtantiis; aut ſunt ſubſtantiæ, aut ſubſtantiales. Sic quæ adiunguntur Enti vt eius proprietates, entia ſunt, nec aliud.

Entis proprietas triplex: Prima eſt quæ nouam ſubiecto perfectionem non addit, vt homo viuus, Vivvs nouam perfectionem

non indicat homini conſtituto ſuperue-nientem: Altera realis, & noua perfectio. Sic calor eſt proprietas ignis realiter ab igne diſtincta. Tertia eſt quæ poteſt ſpecificari, & quæ non poteſt, vt alteratio, & augmentatio ſunt proprietates ſpecificæ corporis, non autem motus.

Ens latiſſimè ſumptum nullas habet proprietates, vel illæ ſunt ens, vel non ens. Ad non ens non eſt proprietas entis; ſi verò entis proprietas detur, dabitur & entis illius proprietas, & ſic in infinitum.

Tres ſtatuuntur Entis proprietates primariæ, Vnitas, Veritas, Bonitas. Secundariæ Intelligibilitas, Res, Aliquiditas, Appetibilitas, Perfectio: nam ad vnitatem ſequitur aliquid eſſe diuiſum ab alio, ideóque eſſe aliquid: Ad veritatem ſequitur aliquid eſſe intelligibile, ſiue perfectum, ideóque eſſe rem: Ad bonitatem ſequitur appetibilitas, quibus adiungendus eſt motus, quòd in omni ente ſit principium motus, ſeu actiuum, ſeu paſſiuum: nec eſt ratio cur obiectum voluntatis & intellectus faciat proprietatem, nec obiectum potentiæ motricis.

De VNITATE.

Tribus modis aliquid eſt vnum: primò quoad in ſe eſt indiuiſum, ſed tamen non

diuiſum à quouis alio, vt digitus vnus eſt, non tamen eſt vnus quatenus non eſt diuiſus à quouis alio: & vt Ariſtoteles ait, Actus eſt qui ſeparat: ſic poſſum dicere, Separatio eſt quæ facit actum; ideò enim dicimus vnam lineam non eſſe multas, licèt in illa ſint multæ, quia lineæ illæ non ſunt ſeparatæ ſeu diuiſæ. Secundò vnum eſt quod diuiſum eſt à quouis alio, ſed non eſt in ſe indiuiſum; vt exercitus vnus eſt, quia ab omnibus aliis diuiſus eſt, non tamen vnus eſt, quia diuiſus eſt in ſuas partes. Tertiò & propriè vnum eſt, quod eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum à quouis alio, hæc numerica dicitur. Solus Deus vnum propriſſimè dicitur.

Vnitas vna eſt non per aliam vnitatem, ſed per ſeipſam.

Vnitas ab entitate ſeiuncta non eſt fundamentũ relationis, ſed ſũpta vnà cũ entitate.

Vni opponitur *non vnum*. 1. non vnum negatiuè, quod nullo modo eſt ens, alio modo non priuatiuè, id eſt, cùm aliquid certo modo non eſt vnum, & eſt quidem ens, ſeu habet priuationem certæ cuiuſdam vnitatis, & ſic non vnũm vocatur multum, ſeu multitudo: aliquando vnum fieri poteſt aliquando non; vnum quidem cùm fieri poteſt ſignificat priuationem, cùm verò fieri non poteſt ſignificat negationem.

certam veritatem tollit, non omnem; vt cùm res videtur eſſe aliquid, non tamen eſt, vt ſi plumbum videatur eſſe argentum.

De B O N I T A T E.

B O N V M eſt proprietas Entis: nam malus ſyllogiſmus, quantenus malus, non eſt ens.

Multi cenſent Bonum, cùm ſit appetibile, appetibilitatem ſeu conformitatem cum voluntate eſſe formalem rationem Boni, quod mihi falſum videtur, quia priùs aliquid eſt bonum, quàm appetibile, ſi cùm priùs eſt color quàm viſibilis.

B O N V M propriè eſt perfectio quædam, vnde Mors, quà mors, non eſt bona; quia eſt priuatio.

M A L V M eſt oppoſitum bono. Vnum autem eſt malum merum, ſiue non ens, chymæra; alterum eſt malum priuatiuum non cuiuſuis boni, ſed alicuius; v.gr. cæcitas: aliàs omnis omninò res mala eſt quatenus omnis res, excepto Deo, habet negationem alicuius entitatis aut eſſentiæ, ideóque alicuius bonitatis, vt homo non eſt angelus.

De Identitatibus, & Diſtinctionibus.

E N S vel eſt idem, vel ſubiecto, vel numero, vel ratione, vel genere, vel ſpecie, vel proportione, vel materia, vel formâ vel aliud eſt ens, vel diuerſum quod in toto diſ-

Potentia eſt ens quod actui reſpondet, vel eſt id per quod res eſt formaliter potens, vel poſſibilis.

Vna potentia vel eſt cum priuatione, vt in ligno potentia ad ignem; vel ſine priuatione, vt in igne potentia ad ignem: ſicque valet conſequentia ab actu ad potentiam, dummodo ſine priuatione ſit; vt ſto, ergo poſſum ſtare.

Potentiæ priuatiuæ opponitur Impotentia, & Impoſſibilitas; ſed poſitiuæ opponitur actus.

Potentia media eſt inter eſſentiam & actionem, nam prius eſt eſſe animam, deinde animam potentem eſſe, deinde agere.

Potentia vel eſt paſſiua, vt calefactibilitas; vel actiua, vt calefactiuitas; vel eſt reſiſtens verè, vt cùm aqua reſiſtit igni per frigus; vel reſiſtens propter ineptitudinem, vt lignum docenti.

Potentia vel eſt aptitudo tantùm: nam aptitudo eſt ad potentiam; vt in cæco aptitudo eſt: vel eſt potentia propriè ad actum.

Poſſibilitas eſt potentia ſine ſubiecto, vt poſſibilitas alterius mundi, & potentia obiectiua vocatur, quamuis etiam impoſſibilitas poſſit eſſe potentia obiectiua.

Poſſibile nec eſt neceſſariò verum, nec neceſſariò falſum, ſed verum vel falſum eſſe poteſt.

Digitized by Google

Actiua potentia vna eſt, vt informatio, alia eſt quaſi informatio, vt genus & differentia informant ſpeciem; vel eſt operatio propriæ cauſæ efficientis, vel aliarum cauſarum.

Potentia vel eſt metaphyſica, vt genus reſpectu differentiarum, vt anima reſpectu accidentium; vel phyſica & ſubſtantiua, vt materia; vel eſt obedientialis reſpectu Dei.

In æternis idem eſt eſſe & poſſe: & actus prior eſt potentiâ.

Omnis poſſibilitas ſupponit potentiam actiuam, actio potentia actum.

Genus, & Differentia.

NATVRA ſpecifica cum aliis conuenit, & ab aliis diſcrepat: conuenit per genus, diſcrepat per differentiam.

Gradus genericus vnius indiuidui diſtinguitur realiter à differentia indiuidui, aut alterius indiuidui; v. gr. animalitas in Petro realiter diſtinguitur à differentia Pauli; quia impoſſibile eſt naturaliter vt idem gradus realis poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis, Animalitas Petri alia eſt entitas ab animalitate Pauli.

Animalitas in Petro diſtinguitur à Petreitate ex natura rei, alioquin Petreitas idem

eſſet cum Paulinitate, quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inte ſe.

Nullum vniuerſale eſt vnum in multis realiter: mea enim entitas eſt alia à tua reàliter.

Vnitas formalis poteſt eſſe ſingularis & communis, vt diuina formalem naturâ vnitatem & ſingularem habet, & tamen communem tribus perſonis, quarum reſpectu non eſt vniuerſalis, ſicque vnitas eſſentialis ab vniuerſali diſtinguitur.

Natura & Singularitas.

Indiuiduum dicitur quod in ſibi ſimilia nequit diuidi; vt Petrus indiuiſibilis eſt in Petros. Particulare eſt pars entitatiua ſpeciei. Singulare dicitur quod vnicum, ſolum & ſolitarium; quia ne diuinitùs idem multa eſſe poteſt. Indiuiduum conſtat ex natura & indiuiduatione, proindéque per ſingularitatem incommunicabilitas & indiuiſibilitas intelligitur.

Quicquid exiſtit ſingulare eſt: poteſt tamen aliquid exiſtere ſine ſingularitate propria, vt vniuerſale per indiuidua: & Deus tamen exiſtit ſine ſingularitate, ſi ſingularitas ſit, id contrahit naturam ſpecificam, quæ in Deo non eſt. Omne vniuerſale eſt indiuiduum; quia quicquid eſt, vnum eſt: Quod autem vnum eſt, eo ipſo indiuiduum eſt &

ſingulare: omnis enim ſpecies qua ratione vna eſt, indiuidua eſt; quia impoſſibile eſt ſpeciem vt ſpeciem in plures ſpecies diuidi.

Singularitas à natura non diſtinguitur realiter, aliàs reales & particulares requirerentur ſingularitates & exiſtentiæ: ſed nulla eſt exiſtentia ſpeciei à ſingularitate & exiſtentia indiuidui diſtincta.

Accidentia non ſunt principium indiuiduationis in ſubſtantia, ſed ſubſtantia principium indiuiduationis accidentium.

Exiſtentia non eſt indiuiduatio: nam Plato dicitur indiuiduum, licèt non exiſtat.

Eo modo quo res eſt vnum, in plura diuidi nequit, vt animal quatenus tale non poteſt diuidi in plura genera: cùm verò ſit vnum animal ratione entitatis, poteſt diuidi in plures entitates. ita ſigulare cùm ſit vnum entitate, non poteſt diuidi in plura entitate.

Res & Modus.

Res eſt cui modus propriè ineſt. Modus verò eſt id quod rem determinat etiam non cogitante intellectu: nec à re realiter diſtinguitur. Modus vnus eſt negatiuus, vt remiſſio caloris; alter poſitiuus, vt intenſio caloris: Vnus neceſſarius, vt *Perſeitas* ſubſtantiæ; alius contingens, vt

apertio & clauſio manus: vel eſſentialis, ſine quo rei eſſentia nec eſſe, nec concipi poteſt, vt vnio inter partes eſſentiales: alius accidentarius, quo modo aliquid eſt prius, vel poſterius, vel ſimul; vt creatio eſt modus prior creaturæ, exiſtentia eſt modus ſimul, oppoſitio eſt modus poſterior.

De Termino, & Terminabili.

Terminus hîc ſumitur pro principio, medio, & fine. Terminus principium dicitur *à quo:* terminus finis, *ad quem*, terminus medius *copulans.*

Terminus eſt per quem res nec vltra, nec citra prodit.

Terminus non ſemper imperfectionem indicat: nam diuina potentia in Patre generatrix ad vnum filium ſe tantùm extendit, nec tamen hæc eſt imperfectio, cùm hæc potentia ad infinitum obiectum terminetur.

Terminus eſt indiuiſibilis, id eſt, non alio termino terminatur, alioquin, &c.

Terminus vel eſt negatiuus, vt diuiſibilis in quantitate; terminus corruptionis, imminutionis, remiſſionis; vel eſt poſitiuus, vt terminus generationis, augmentationis, intenſionis: vel eſt internus, quo modo corpus terminatur ſuperficie internâ; vel

externus, quomodo corpora terminantur ſuperficie corporis ambientis.

Subiectum, Forma.

Forma ineſt ſubiecto, & ſuam eſſentiam communicat, nec eſt propterea ipſius pars; vt albedo efficit veſtem albam, nec eſt pars veſtis. Subiectum verò ſuum eſſe communicat Formæ, licèt non ſit eius pars, nec ea eſt pars parietis.

Subiectum vel eſt inhæſionis, cui forma inhæret; vt eruditio animæ: vel denominationis, quod ſubiectum licèt formam non recipiat, ab ea tamen denominatur? nam & ſi eruditio toti non inſit homini, ſed parti, nempe animæ, homo tamen denominatur doctus.

PARS SECVNDA.

De Proprietatibvs Entis.

Ea quæ adiunguntur Animali, non dicuntur anmalia, vel animalitates: ſed quæ adiunguntur ſubſtantiæ, vt differentiæ adiunctæ ſubſtantiis; aut ſunt ſubſtantiæ, aut ſubſtantiales. Sic quæ adiunguntur Enti vt eius proprietates, entia ſunt, nec aliud.

Entis proprietas triplex: Prima eſt quæ nouam ſubiecto perfectionem non addit, vt homo viuus, Vivus nouam perfectionem

non indicat homini conſtituto ſuperue-nientem: Altera realis, & noua perfectio. Sic calor eſt proprietas ignis realiter ab igne diſtincta. Tertia eſt quæ poteſt ſpecificari, & quæ non poteſt, vt alteratio, & augmentatatio ſunt proprietates ſpecificæ corporis, non autem motus.

Ens latiſſimè ſumptum nullas habet proprietates, vel illæ ſunt ens, vel non ens. Ad non ens non eſt proprietas entis; ſi verò entis proprietas detur, dabitur & entis illius proprietas, & ſic in infinitum.

Tres ſtatuuntur Entis proprietates primariæ, Vnitas, Veritas, Bonitas. Secundariæ Intelligibilitas, Res, Aliquiditas, Appetibilitas, Perfectio: nam ad vnitatem ſequitur aliquid eſſe diuiſum ab alio, ideóque eſſe aliquid: Ad veritatem ſequitur aliquid eſſe intelligibile, ſiue perfectum, ideóque eſſe rem: Ad bonitatem ſequitur appetibilitas, quibus adiungendus eſt motus, quòd in omni ente ſit principium motus, ſeu actiuum, ſeu paſſiuum: nec eſt ratio cur obiectum voluntatis & intellectus faciat proprietatem, nec obiectum potentiæ motricis.

De VNITATE.

Tribus modis aliquid eſt vnum: primò quoad in ſe eſt indiuiſum, ſed tamen non

diuiſum à quouis alio, vt digitus vnus eſt, non tamen eſt vnus quatenus non eſt diuiſus à quouis alio: & vt Ariſtoteles ait, Actus eſt qui ſeparat: ſic poſſum dicere, Separatio eſt quæ facit actum; ideò enim dicimus vnam lineam non eſſe multas, licèt in illa ſint multæ, quia lineæ illæ non ſunt ſeparatæ ſeu diuiſæ. Secundò vnum eſt quod diuiſum eſt à quouis alio, ſed non eſt in ſe indiuiſum; vt exercitus vnus eſt, quia ab omnibus aliis diuiſus eſt, non tamen vnus eſt, quia diuiſus eſt in ſuas partes. Tertiò & propriè vnum eſt, quod eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum à quouis alio, hæc numerica dicitur. Solus Deus vnum propriſſimè dicitur.

Vnitas vna eſt non per aliam vnitatem, ſed per ſeipſam.

Vnitas ab entitate ſeiuncta non eſt fundamentũ relationis, ſed ſũpta vnà cũ entitate.

Vni opponitur *non vnum*. 1. non vnum negatiuè, quod nullo modo eſt ens, alio modo non priuatiuè, id eſt, cùm aliquid certo modo non eſt vnum, & eſt quidem ens, ſeu habet priuationem certæ cuiuſdam vnitatis, & ſic non vnũm vocatur multum, ſeu multitudo: aliquando vnum fieri poteſt aliquando non; vnum quidem cùm fieri poteſt ſignificat priuationem, cùm verò fieri non poteſt ſignificat negationem.

certam veritatem tollit, non omnem; vtcùm res videtur eſſe aliquid, non tamen eſt, vt ſi plumbum videatur eſſe argentum.

De B O N I T A T E.

B O N V M eſt proprietas Entis: nam malus ſyllogiſmus, quantenus malus, non eſt ens.

Multi cenſent Bonum, cùm ſit appetibile, appetibilitatem ſeu conformitatem cum voluntate eſſe formalem rationem Boni, quod mihi falſum videtur, quia priùs aliquid eſt bonum, quàm appetibile, ſi cùm priùs eſt color quàm viſibilis.

B O N V M propriè eſt perfectio quædam, vnde Mors, quà mors, non eſt bona; quia eſt priuatio.

M A L V M eſt oppoſitum bono. Vnum autem eſt malum merum, ſiue non ens, chymæra; alterum eſt malum priuatiuum non cuiuſuis boni, ſed alicuius; v. gr. cæcitas: aliàs omnis omninò res mala eſt quatenus omnis res, excepto Deo, habet negationem alicuius entitatis aut eſſentiæ, ideóque alicuius bonitatis, vt homo non eſt angelus.

De Identitatibus, & Diſtinctionibus.

E N S vel eſt idem, vel ſubiecto, vel numero, vel ratione, vel genere, vel ſpecie, vel proportione, vel materia, vel formâ vel aliud eſt ens, vel diuerſum quod in toto dif-

fert, nihil habens commune: aliud verò eſt differens vel genere, vel ſpecie, vel numero. Idem vel eſt poſitiuum inter duo entia, vel quaſi duo entia, vt actia & paſſio: aliud eſt priuatiuum inter duo non entia, vt cæcitas & priuatio viſus ſunt vnum & idem.

Distinctio duplex, vna poſitiua, vt inter duo entia: altera negatiua inter non entia: vt inter cæcitatem & ſurditatem poſitiua diſtinctio eſt vel realis, vel ex natura rei, vel rationis ſeu rationalis.

Rationalis diſtinctio eſt quæ fit per ſolam rationem. Si habet fundamentum diſtinguendi, eſt diſtinctio ratione ratiocinatâ, cùm aliquid eſt idem, ſed propter diuerſos effectus idem à ſeipſo diſtinguitur, vt Iuſtitia, & Miſericordia ſit idem Deus, ſed quòd diuerſos ſortiantur effectus, ideò ratione ratiocinata diſtinguuntur: ſi non habet, eſt diſtinctio *rationis ratiocinantis*: v. gr. Petrus eſt Petrus: hic Petrus eſt ſubiectum & prædicatum, nec eſt ratio cur intellectus inter Petrum & Paulum diſtinguat.

Diſtinctio realis vna maior inter ea quæ diuerſas habere poſſunt exiſtentias: alia minor, ſiue ex natura rei.

Ex natura rei diſtinctio eſt eadem cum diſtinctione realitatis minoris, vbi non habetur ratio diuerſæ exiſtentiæ, ſed tantùm

inter ea quæ contradictoria: ſic diſtinguitur homo & animal: homo enim eſt rationalis, animal non eſt rationale; hæc diſtinctio vel eſt formalis, quando vnum non eſt in definitione alterius, vel quādo reseſt in vno qūd non eſt in alio: vt animal & homo. Alia diſtinctio eſt potentialis inter partes homogeneas in eodem toto: Alia modalis inter duos modos eiuſdem rei, vel inter rem & modum.

PARS TERTIA.

De ſpeciebus ENTIS, Subſtantia, & Accidente.

ENS communiter vel eſt Subſtantia, vel Accidens: ſi per ſe ſubſiſtat, eſt ſubſtantia; ſi verò per aliud, eſt accidens.

ſubſtantia eſt ens non exiſtens in alio, ſed per ſe ſubſiſtens. Subſtantia Rationalis vocatur Perſona, cuius abſtractum eſt *Perſonalitas,*

Subſiſtere propriè eſt quod non eſt in alio tanquam accidens, nec eſt in alio per modum partis, nec per modum formæ, aut

materiæ: ſic genera & ſpecies ſubſtantiarum non ſunt ſubſtantiæ, quia non ſunt ſuppoſita, nec ſignificant hoc aliquid.

Subſtantia duplex. Corporea, de qua Phyſica; altera ſpiritalis, vt Deus, Angelus Anima rationalis.

Subſtantia ſpiritalis eſt quæ neque ex materia componitur, neque ex materia educitur.

Suppoſitum eſt ſubſtantia irrationalis; nam ſubſtantia rationalis vocatur perſona, cuius abſtractum eſt perſonalitas.

ACCIDENS eſt quod inhæret ſubſtantiæ: Sed INHÆSIO triplex eſt, *Actualis* vna & hæc non eſt de eſſentia, ſicut nec aptitudinalis, ſed inhærentia fundamentalis ſeu radicalis eſt de eſſentia, non tamen eſt Differentia. Quòd autem ſit de eſſentia accidentis, probatur, quia ſi abſtrahas ab omni ſubſtantia accidens, non erit amplius accidens.

INHÆRERE eſt potiùs actiuum quàm paſſiuum, id eſt, accidens adhærendo potiùs apprehendit ſubſtantiam quàm apprehendatur à ſubſtantia: ea enim quæ infirmiora ſunt potiùs apprehendunt firmiora, quàm quòd apprehendantur à firmioribus.

Probabilis omnium videtur opinio Oc-

cami dicentis nullum accidens realiter diſtingui à ſubſtantia, excepta patibili qualitate: quo modo accidentia omnia tantum erunt modi ſubſtantiæ.

Accidens vel eſt corporeum, vt calor, frigus; vel incorporeum, ſeu ſpiritale, vt mens, voluntas, memoria.

De Spiritibus, potiſſimùm verò De ANGELIS.

SPIRITVS apud Metaphyſicos eſt Ens, quod non eſt in materia, nec ex materia, nec materia, nec compoſitum ex materia & forma: id enim quod ex materia fit ſpiritus eſſe nequit. Nec tamen hoc abſolutè verum eſt; ſi enim aſinina forma fieret extra materiam à Deo, non propterea eſſet ſpiritus, ſed immaterialis.

Spiritus à præcipua facultate vocantur MENTES, à rerum ſcientia perfectiſſima DÆMONES, id eſt plurimùm ſcientes; ab officiis Vocantur ANGELI, id eſt, Legati Dei ad homines, & è contra. Vocantur Genij, qui præſunt rebuſpublicis, & priuato cuiuis. Vocantur DII, id eſt motores, à Græco θεῖν, id eſt mouere, ſeu currere; quia nimirum præſunt ſecundùm Ariſtotelem motibus cælorum.

Exiſtentia Angelorum demonſtrari non poteſt, quia id quod à ſola voluntate Dei dependet, demonſtrari non poteſt: Poſſibilitas tamen Angelorum demonſtrari poteſt. Probatur: Effectus poſſunt eſſe ſimiles cauſis quatenus cauſæ ſunt imitabiles: ergo poteſt eſſe effectus ſimilis Deo quatenus ſpiritalis eſt.

Eſſe Angelos tam bonos quàm malos certum eſt.

Componuntur Angeli ex genere & differentia, non tanquam ex potentia contradictionis ad eſſe & ad non eſſe, ſed tantùm ex potentia ad eſſe; quia Angeli ſunt intrinſecè immortales, extrinſecè verò mortales: Si enim placeret Deo, poſſet eos in nihilum redigere.

Angeli ab animis noſtris rationalibus differunt, non enim ſunt formæ informantes, neque partes alicuius corporis cui ſuum eſſe largiantur: Angeli enim non habent quantitatem molis, ſed quantitatem proportionatam eo modo quo anima noſtra per vniuerſum corpus ſpiritali modo extenditur.

Angeli ſunt in loco per eſſentiam & præſentiam.

y Google

De Deo.

Cognitio Dei, qui ſpiritus ſpiritaliſſimus eſt, à nemine haberi poteſt niſi ab homine & Angelis, ipſométque Deo; quandoquidem ſpiritalia non incurrant in ſenſus, ideóque nec propriè alia animalia laudare & benedicere poſſunt Deum quem non cognoſcunt. Deinde nemo Deum niſi Deus ipſe comprehendit: Infinitum enim à nobis cognoſci non poteſt, ſed ſolus Deus infinitus ſeipſum infinitum comprehendit, & infinitum tantùm ſui-ipſius menſura eſt, vt ex Phyſ. conſtat.

Multa de Deo per fidem & Philoſophiam cognoſcuntur, quæ tamen demonſtrari non poſſunt: nam quæ aliter eſſe poſſunt, demonſtrari non poſſunt; vt, quòd Deus fuerit incarnatus, quòd paſſus, quòd mortuus, &c. quòd hæc aut illa ſacramenta inſtituerit aliter eſſe & fieri potuit: ergo hæc & ſimilia demonſtrari non poſſunt.

Dei nomine duo concipimus, vnum quod eſt omnibus rebus perfectius, alterum eſt quo nihil eſt perfectius. Nec hæc ſunt vnum & idem, nam ſicut primum eſt quod prius eſt aliis, & quo nihil prius eſt: ita Deus eſt perfectior omnibus rebus, & Deo perfectius nihil eſſe poteſt.

Credibiliſſimum eſt antiquos ſed philoſophos & prudentes viros ſub diuerſis nominibus eandem intellexiſſe diuinitatem, quemadmodum nos Chriſtani: nam Deus, ver. gr. apud nos eſt Redemptor; iam eſt in Transfiguratione, iam Deus reſurgens, idem tamen vbique eſt. Ita vocatur ver. gr. BEATA VIRGO LAVRETANA, & ſic de cæteris loquendo.

Per attributa diuina intelligimus prædicata, quę reſpectu creaturarum, præſertim ſubſtantiarum ſunt proprietates eſſentias conſequentes, vt in creatura ſubſtantiáque perfectiſſima, ſcil. in Angelo & homine intellectus, voluntas, potentia executrix, ſapientia, iuſtitia, &c ſunt attributa Angelorum, hominum, &c. quia non ſunt de eſſentia: ita in diuina natura hæc dicimus attributa. Vbi tamen ſciendum eſt hæc attributa nec inter ſeſe, nec ab eſſentia diuina ſiue realiter, ſiue formaliter, ſiue ratione ratiocinatâ diſtingui aut preſcindi. Quicquid enim in DEO eſt, DEVS eſt.

Et hæc de vniuerſa Philoſophia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Rerum pręcipuarum quæ in hoc opuſculo continentur.

A

ABductio quid. 61
Abſtractionum formalitas variat ſcientias. 267
Abſtractum quid dicatur. 57
Accidens quid, 52 293. an realiter diſtinguitur a ſubſtantia. ibid.
Accidentis & ſubſtantiæ emblema. 21
Accidentia quot ſunt. ibid.
Accidentia non ſunt principium indiuiduationis in ſubſtantia, ſed è contra, 285
Actio & paſſio. 23
In Actu ſignato & exercito ſumi quid. 26
Actus quid, 278 idem eſt ſecundus ac primus. 279
Æquipollentia. 47
Æquiuocum quid. 20
Aliquid quid, 19.20
Triplici modo naturaliter eſſe poteſt, 174
Amor. 100
Analogum quid, 20
Anatomiæ excellentia, 244
Angelorum exiſtentia an demonſtrari poſſit. 21
Angeli, ſiue res ſpiritales nullum habent ſitum 24
Animæ definitio, 238 & deſcriptio, 238
Animarum quot genera, 252
Anima ſentiens, 258
Animæ rationalis quot potentiæ, 262
& facultates. 265
Antecedentia quæ vocantur. 54
Aqua cuius ſit coloris. 213
Ars quotuplex. 9. 165
Artis & naturæ comparatio. 169
Artes omnes mutuantur ſubiectum à Phyſica. 119

Digitized by Google

Ars nulla docet facere opus naturale. ibid.
Ars quando naturam imitatur. 170
Auerſio. 101

B

Bonum 19 & quotuplex, 19. 89
Bonum Metaphyſicum quid? 189

C

Cæcus diſputat de coloribus quomodo interpretandum? 173
Cælum an ſit ex eadem materia cum rebus ſublunaribus, 203. 204. quot habeat poſitionum differentias 204 an ſit animatum, 205. cuius ſit coloris, ibid. an fortuitò factũ. 160
Categoria quid. 20
Categorema quid. 41
Caſus in quibus locum habent, 161
Cauſas quomodo tractant Metaphyſici, Dialectici & Phyſici, 143. 144
Cauſa an ſit, ibid. per quid eſt cauſa. 145
Cauſæ phyſicæ deſcriptio. 144
Cauſæ cauſarum an ſint. ibid.
Cauſarum naturalium genera. 146
qualitates quædam. 174
Cauſa exemplaris naturalis. 147
Cauſa per ſe quid. quid per accidens. 157
materialis 149. formalis 151. finalis, 154 efficiens, 155
Cauſæ rerum naturalium. 143
Cauſalitas quid? 145
Ceraſtes ſyllogiſmus. 63
Conceptus an iidem ſint apud omnes. 40
Concretum quid. 37
Conſequentia quæ vocantur. 54
Continuum quid. 185
Conuerſio enunciationum. 46
Cornutus ſyllogiſmus. 63
Corpus naturale, obiectum Phyſicæ. 116
Corporis naturalis ſpecies. 197
Corporis animati ſeu viuentis exiſtentia, 236 materia. 243
Corpus animatum ab inanimato ſeu non viuente qui differat. 236
Corporum naturalium proprietates, 170
Crocodites ſyllog. 63

D

Definitio quid, 73
Demonſtratio quid. 64

Deſcriptio quid. 74
Deus ſolus vnum propriiſſimè dicitur. 28
Dei cognitio ad quem ſpectat 295. 296
Differentia quid, 35. 281
Differentiæ vltimæ, ignotæ hominibus, 36
Dilemma quid 63
Diſcurſus ſignificatus, & exiſtentia, 49 quotuplex 52
Diſputandi probabiliter inſtrumenta, 67
Diſtinctio realis. 291
Diſtinctum quid. 19
Diuiſio quid. 75

E

Efficiens phyſicum quid. 155
Elementa in ſuo loco nec grauitant, nec leuitant. 208
Ens quatenus ens eſt obiectum Metaphyſicæ, 268. quot modis ſumitur. 265
Ens an habeat principia. 271
Entis conceptus quis ſit, 269. diuiſio, 340
Entis proprietates, & quot, 285. 286
Enthymema quid. 62
Enunciatio quid, & quotuplex. 44
Enunciationis qualitates. 45
Enunciationum conuerſiones. 46
Eſſentia quid. 274
Eſſentiæ ſuntne æternæ? 275. an vniuerſales 276
Exemplum apud Logicos quid 60
Exiſtentia quid addit ſuper eſſentiam. 276. an ſit communicabilis. 277
Exiſtentia varia. ibid.
Extenſio duplex. 199

F

Falſitas quid. 288
Fatum quid. 163
Fati & prouidentiæ diſtinctio. 164
Finis quid, & quotuplex 154
Fœlicitas quid 86. 87. & ſeqq. qualis, 91
Fœlicitatis nomina, & ſignificatus 84
exiſtentia, ibid. cauſa efficiens, 85
finis, materia & forma. ibid.
Forma quid, & quotuplex, 142 143. 151
Formæ naturalis deſcriptio. 151
Formaliter ſumi quid? 37
Fortuna & caſus nunquam locum habent in cauſis quæ ſemper eodem modo agunt. 161

Ars nulla docet facere opus naturale. ibid.
Ars quando naturam imitatur. 170
Auerſio. 101

B

Bonum 19 & quotuplex, 19. 89
Bonum Metaphyſicum quid? 289

C

Cæcus diſputat de coloribus quomodo interpretandum? 173
Cælum an ſit ex eadem materia cum rebus ſublunaribus, 203. 204, quot habeat poſitionum differentias 204 an ſit animatum, 205. cuius ſit coloris, ibid. an fortuitò factũ. 160
Categoria quid. 20
Categorema quid. 41
Caſus in quibus locum habent, 161
Cauſæ quomodo tractant Metaphyſici, Dialectici & Phyſici, 143. 144
Cauſa an ſit, ibid. per quid eſt cauſa. 145
Cauſæ phyſicæ deſcriptio. 144
Cauſæ cauſarum an ſint. ibid.
Cauſarum naturalium genera 146
qualitates quædam. 174
Cauſa exemplaris naturalis. 147
Cauſa per ſe quid. quid per accidens. 157
materialis 149. formalis 151. finalis, 154 efficiens, 155
Cauſæ rerum naturalium. 148
Cauſalitas quid? 145
Ceraſtes ſyllogiſmus. 63
Conceptus an iidem ſint apud omnes. 40
Concretum quid. 37
Conſequentia quæ vocantur. 54
Continuum quid. 185
Conuerſio enunciationum. 46
Cornutus ſyllogiſmus. 63
Corpus naturale, obiectum Phyſicæ. 116
Corporis naturalis ſpecies. 197
Corporis animati ſeu viuentis exiſtentia, 236 materia. 243
Corpus animatum ab inanimato ſeu non viuente qui differat. 236
Corporum naturalium proprietates, 170
Crocodites ſyllog. 63

D

Definitio quid, 73
Demonſtratio quid. 64

Deſcriptio quid. 74
Deus ſolus vnum propriiſſimè dicitur. 28
Dei cognitio ad quem ſpectat 295. 296
Differentia quid, 35. 281
Differentiæ vltimæ, ignotæ hominibus, 36
Dilemma quid 63
Diſcurſus ſignificatus, & exiſtentia, 49 quotuplex 51
Diſputandi probabiliter inſtrumenta, 67
Diſtinctio realis. 291
Diſtinctum quid. 19.
Diuiſio quid. 75

E

Efficiens phyſicum quid. 155
Elementa in ſuo loco nec grauitant, nec leuitant. 208
Ens quatenus ens eſt obiectum Metaphyſicæ, 268. quot modis ſumitur. 269
Ens an habeat principia. 271
Entis conceptus quis ſit, 269. diuiſio, 340
Entis proprietates, & quot, 285. 286
Enthymema quid. 62
Enunciatio quid, & quotuplex. 44
Enunciationis qualitates. 45
Enunciationum conuerſiones. 46
Eſſentia quid. 274
Eſſentiæ ſuntne æternæ? 275. an vniuerſales 276
Exemplum apud Logicos quid 60
Exiſtentia quid addit ſuper eſſentiam. 276. an ſit communicabilis. 277
Exiſtentia varia. ibid.
Extenſio duplex. 199

F

Falſitas quid. 288
Fatum quid. 165
Fati & prouidentiæ diſtinctio. 164
Finis quid, & quotuplex 154
Fœlicitas quid 86. 87. & ſeqq. qualis, 91
Fœlicitatis nomina, & ſignificatus 84
exiſtentia, ibid. cauſa efficiens, 85
finis, materia & forma. ibid.
Forma quid, & quotuplex, 142. 143. 151
Formæ naturalis deſcriptio. 151
Formaliter ſumi quid? 37
Fortuna & caſus nunquam locum habent in cauſis quæ ſemper eodem modo agunt. 162

G

Gemmarum materia 214
Genus quid, 34, 35. 281
Genera omnium rerum decem, & quæ. 34

H

Habitus quid. 25
Habere, quid 25
Hominis partes ſimilares & diſſimilares precipuæ. 248.

I

Idea duplex. 148.
Ideæ artificialis deſcriptio. ibid.
Indiuiduum quid. 282
Indiuiſibile an ſit reale, & aliquid à continuo diſtinctum. 186
Inductio quid. 61
Infiniti phyſici nomina & ſignificatus, 180
Infinitum phyſicum quid, & an ſit. 181
Infiniti nulla eſt ſcientia 182
Inhærere quid. 293
Intellectus duplex. 264
Intellectio quid. 38
Ira. 101

L

Lapides in quibus locis generantur. 222
Lapidum proprietates, & accidentia. 223
variæ figuræ, ibid quomodo fiant, 225
Lapidum præſertim pretioſorum virtutes variæ. 227
Lapidum materia. 214
forma ſubſtantialis, 218. cauſa efficiens. 321
de Loco & Vacuo, 186. & ſeqq.
Locus quid. 189
Loci ſex differentiæ. 190
Loci deſcriptio Mathematica, & Phyſica. 189
Logica an ſit. 15. eſt-ne ars vel ſcientia, 16. quid eſt, & qualis. 17
Logicæ nomina, 11. 12. Finis. 13. Author, 14. materia, ibid. Formæ, 16. partes. 17

M

Malum metaphyſicè ſumptum quid & quotuplex. 289
Mare non eſt elementum. 213
Materia ſimplex quotuplex, 18. 137. quid, 138

vtrum ſit eadem ſublunarium & cæleſtium. 135
Materialiter ſumi quid? 37
Medicamentum, quid. 255
Mens & ſapientia an diſtinguantur. 268
Menſura quid, & quomodo ſit, 199
Mentis operatio, 38. quotuplex, 39. prima quæ, ibid. ſecunda, 43 tertia 48. quarta 70
Metallorum materia, 235. cauſæ, 229
varia genera. 232
Metalla vbi fiunt. 231
Metaphyſicæ nomina & ſignificatus. 265
Metaphyſicæ obiectum, & finis, 268
partes. ibid.
Metaphyſica ſcientia an ſit vna. 266
Meteora vbi fiunt. 209
& quomodo, ibid.
Meteororum, finis cauſa efficiens, 211 212
Methodus, quid, 39. 70. quotuplex, 72. 77. 78
Methodus quarta mentis operatio. 39
Mineralia media. 235
Mobile debet eſſe ſimul cum mouente. 177
Modus quid, & quotuplex. 283
Motus doctrina, & ſignificatus, 171
Motus rerum naturalium, an & quid ſit. 172
de Motu reſpectu generum, ſpecierum & indiuiduorum. 179
de Motu reſpectu motoris. 177
Motus omnis ſuam ſpeciem deſumit à termino 176. quomodo deſcribitur, 175
Mundus quid, 198. an factus à Deo, vel fortuitò, ibid. an ſit æternus 200. An ſit vnus 201. an finitus, 202. an rotundus, ibid. an caſu factus. 160. 161

N

Natura rerum naturalium. 165, 166
Naturalium rerum diſtinctio à non naturalibus. 167
Natura nunquam aberrat à ſuo fine niſi impediatur. 154
Naturæ & artis comparatio, 169
Naturæ peccata quæ, 190. & ſeqq.
Natura & ſingularitas, 182
Nutritio quid, 254. 255

Nutritionis variæ actiones. ibid.

O

Operatio mentis, quotuplex, 39
prima quæ, ibid. Secunda 45
Tertia 48. Quarta, 70
Oratio vocalis. 12

P

Pars quid, & quotmodis ſumatur, 246
Particulare, quid. 282
Paſſionum exiſtentia, 97
Paſſio animi, quid. ibid.
Paſſiones animi quot, 99. 100
Patibilis qualitas, ſeu paſſio, quid, 22
Philoſophiæ ſtudioſo quæ cognoſcenda, 1
Philoſophiæ nomina, 3. Quid ſignificat & an ſit 4. Quis eius author & finis, 5. materia, 6. Quid eſt, & qualis, 7. Quotuplex, 8. Quotuplex practica ſeu moralis, 9. Quotuplex contemplatrix, 10
Philoſophia moralis quotuplex, 9. eius nomina, ſignificatus, 81. & exiſtentia, 82. cauſæ, & finis ibid. definitio, 83
Phyſicæ nomina, 112
Significationes quæ, 115. Exiſtentia, 116
Phyſica de quibus tractat. 112
Phyſicæ obiectum, 116
forma, definitio, 117. qualitates & partes. 120
Pons aſinorum quid? 53
Poſſibile quid, 280
Potentia duplex, 278. quid, 280. 281
Primò intentionaliter ſumi. 36
Principii nomina, & ſignificatus, tractare ad Metaphyſicum pertinet, 123
Principium quid, 124. quale 132. 133. quotuplex, 124. & ſeqq.
Principia rerum naturalium, quot, 135
Principia prima an ſint naturaliter cognita. 272. quæ ſunt principia cognitionis entis 273
Principia rei in Ente quæ ſunt. 274
Priuatio quid, 140
Problema dialecticum. 66
Proprium quid, & quotuplex, 33
Prouidentia quid. 164
Prouidentiæ & Fati diſtinctio. ibid.

Q

Quæſtio qua methodo tractatur. 76
Qualitas quid, & quotuplex, 22. 23
Quando Categ. 24
Quanta quæ non ſunt, imaginari non poſſunt. 114
Quantitas quid, & quotuplex, 21
Quantitatem Metaphyſicam, quomodo tractant Metaphyſici, Logici, Mathematici, Theologi, & Medici, 184
de Quanto, ſiue Continuo. 184. 185

R

Relata quæ, 23
Repugnantia quæ vocentur. 54
Res & modus. 285
Res quid. 18. 285
Res quomodo conſiderari debent. 118
quomodo cognoſci. 122

S

Sanguinis pluuia vnde? 212
Sapientia & Mens, an diſtinguantur, 266
Scientiæ dignitas à quo petitur. 114
Scriptura duplex. 40
Secundò intentionaliter ſumi, 36
Senſitiua potentia quæ. 258
Senſus externi qui, 259. externi, 260
Signum quid, & quotuplex. 40. vocale 41
Singulare quid 282
Singularitas an à natura diſtinguatur. 283
Singularia quomodo differant, 35
Situm eſſe quid, 24
Sorites quid. 62
Species quæ, 34. & quid. 35
Spiritus quid 294
Subſtantiæ & accidentis emblema: 21
Subſtantiæ & accidentis duplex vtilitas. 21
Subſtantiæ quot ſunt, 21
Subſtantia quid, & quotuplex, 293
Subſiſtere quid. 209
Suppoſitum quid 292
Supertranſcendens quid. 20
Syllogiſmus quid. 58. 66
Syllogiſmi modi, 57. 64. materia quæ 52. formæ, & figuræ, 55. 56
Syllogiſmorum regulæ, 59. ſpecies, 63
Syllogiſmus demonſtratiuus, 64

dialecticus qualis, 65
Syncategorema quid. 41

T

Tempus quid, 191. an ſit nihil, vt aliqui putarunt, ibid. & ſeqq.
Terminus & Terminabile quid, 284
Terminus in actu ſignato & exercito. 36
Terra cuius ſit coloris. 215
Tranſcendens quid. 18

V

Vacuum quid? 186. & ſeq.
Vanum quid. 160
Vbi categ. quid, 24
Venenum quid. 254
Veritas quid, & quotuplex. 288
Veritatis contemplatio finis Metaphyſicæ 268
Verum quid. 19
Virtutis & Vitii nomina & ſignificatus, 102
Virtutis exiſtentia, 94.102
Virtutum materia interna, 96
Virtus quid. 94. 102. ibid.
Virtus intellectualis, quid, & quotuplex 102
Virtus moralis, quid, & quotuplex. 105
Virtus heroïca, quid, 108
Virtutum principia præcipua. ibid.
Vnitas quid. 286
Vniuerſale quid 28. an ſit aliquod in rerum natura, ibid. quale & quotuplex. 29. 30
Vniuerſalis nomina, & ſignificatus 26
Vniuerſalium finis, materia, cauſa efficiens, forma 29
Vniuerſalia quomodo prædicantur. 31
Vniuerſum concretum & abſtractum. 37
Vniuocum quid. 20
Vnum quid. 28
Vnum quot modis aliquid dicitur. 286
Voluntas. 109
Vox quid & quotuplex, 41

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google